

**Tractatus de fontibus quibusdam soteriis. Nimirum I. De thermis
Hirschbergensibus II. De fonte soterio Kukussensi in Bohemia III. De fonte
sic dicto Molari ad Carolinas thermas quarum descriptionem auctor antea
in Academia Lipsiensi tribus dissertationibus publicis tradidit.**

Contributors

Adolphi, C. M. (Christian Michael), 1676-1753.

Otto, J. C. (Johann Christian)

Weiss, G. H. (Georg Heinrich)

Publication/Creation

Lipsiae ; Bratislava : Sumptibus Joh. Jacobi Kronii [etc.], 1733.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cmcvmq54>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



6
5005/A

T T
65

MEDICAL SOCIETY OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

ADOLPHI, C.M.

PC3



१०

U. SOCIETY OF
LONDON. M. A.

U.

CHRIST. MICHAELIS ADOLPHI

Philos. & Med. Doctoris

Facultat. Med. Assessoris Societatis Leopold.

Carolinæ Nat. Curios. Sodalis B. M. V. Collegii

Senioris & Præpositi

**TRACTATVS
DE
FONTIBVS
QVIBVS DAM
SOTERIIS**

nimirum

I. de Thermis Hirschbergensibus

II. de fonte soterio Kukussensi in
Bohemia


III. de fonte sic dicto Molari ad Ca-
rolinas Thermas

Quarum descriptionem Auctor antea
in Academia Lipsiensi tribus disserta-
tionibus publicis tradidit.

Lipsiae & Wratislaviae,

Sumptibus Joh. Jacobi Kornii,

Bibliopol. 1733.





Q. D. B. V.

I. Dissertatio de Thermis Hirschbergensibus.

PRO OĒ M I U M.



Eus in omnibus suis operibus
plane mirabilis est ; maxime
vero in hoc universo Deus
T. O. M. mirandam omnipot-
tentiam, sapientiam, provi-
dentiam, summam rectricem manum atque gra-
tiam suam, quas hominibus, quos perpetuos sa-
pientiae divinæ spectatores esse voluit, monstra-
vit atque largitus est, celebrasse in aquis vide-
tur, quæ & ex merito penitentibus plenæ sunt
mysteriorum divinorum, adeo, ut vel simpli-
cem aquam simplicem, seu innanem æstimare
simplicitas ingenii esset : Si modo adeamus Li-
brum librorum, Scripturam puto Sacram, præ-
cipua & miranda ibi inveniuntur hujus rei ex-
empla, quæ non tam ad cognitionem historicam,
quam ad summi atque sapientissimi Creatoris re-

verentiam commemoro. Aqua ex petra pro-
 ducta solo baculi Mosis contactu, ut sitienti po-
 pulo subveniret Exod. XXVII, 6. Aqua amara in
 dulcem mutata. 2. Reg. II, 20. Piscinæ prope
Aream templi Salomonis virtutes. Joh. V. Vis
 cœlitus concessa Jordano a lepra mundans. 2.
 Reg. V, 10. i4. Fons Siloha cœco visum re-
 staurans. Joh. IX, 7. Divisio maris, ut transitum
 concederet Populo Israëlitico. Exod. XIV. Di-
 luvium. Gen. VI. VII. Mutata aqua in nuptiis
 Cananæis in vinum. Joh. III. Transmutatio flu-
 minum, lacuum in sanguinem &c. Exod. VII, 20.
 Uberrima hujus rei argumenta sunt & documen-
 ta. Quanta quæso aquis prærogativa, quanta di-
 gnitas accessit! dum de illis legitur, quod Spiriti-
 tus Dei Genes. I. in prima creatione ferebatur su-
 pra aquas, & dum aqua Sacro-Sanctum Sacram.
 Baptismatis fœdus hoc salutiferum nobis Chri-
 stianis instituere & regenerationem ad æternam
 vitam largiri Deo T. O. M. placuit, declaratque:
Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto,
 non intrabit in regnum cœlorum. Conveniens
 satis S. Augustini lectio est decatacl. c. 3. talem
 aquæ virtutem deprædicans: Aqua Baptismi
 non solum corporis fôrdes mundat, sed animam
 a peccato quoque liberat: Quin immo Deus ipse
 in verbo suo tanquam fontem salientem se mani-
 festavit Jerem. II, 13. Si historiam naturalem
 prælibare paulisper velimus, mira ubique con-
 templanda in aqueo regno fôse offerent, Majes-
 statemque summam sapientissimi Creatoris exin-
 de præclare elucescentem admirari laudareque
 argu-

argumenta sunt & stimuli. Si consideramus aquarum saltem originem, distributionem, conjunctas & saepius prodigiosas proprietates, effectus & usus, nihil magis necessarium, nihilque magis utile ac admirandum reperitnus. Aqua enim variarum in natura mutationum causa existit, omnia repurgat, magno fœnore ditat, innumeris multifariisque creaturis scatet, & sine aqua nihil crescit, aut nulla generatio, fœcundatio, nutritio vel auctio in omnibus naturæ regnis celebrari potest; nihil sine ea vivit, nulla sine ea humorum vel sanguinis progressio in vasis animalium, vel secretio, aut inutilium excretio perficitur; verbo, si pro utilitate juste estimetur, nullis naturæ aut artis opibus valore cederet. Quis non miratur Nili excursionem statim semper tempore & ordine procedentem, præclarum providentiæ divinæ signum, aridas & steriles terras irrigando & fœcundando? Quis est adeo a religione, quis ab humanitate adeo alienus, qui non singulas pluviarum guttas Benignissimi Dei mirabilia dona existimet? Quis intuetur fluxum & refluxum maris, qui non statim in admirationem rapiatur? Etsi omnia admiratione digna circa aquas, fontes & flumina animo volvere & literis consignare velimus, ingens sane volumen ea vix caperet, quare coactus mihi tempero, ut illa silentio jam prætermittam & nihil quam hoc addam; non indignum esse Christiano, qui reputet: Singulos fontes ostendere Dei T. O. M. magnitudinem. Scite Plinius, prodigia hujusmodi propemodum humana fide superiora suspiciens, inquit L.

XXXI. Hist. Nat. C. 2. Si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte majora esse miracula. Accepimus apud Ethnicos multam aquarum dignitatem fuisse, oracula & numina ibi habitare, Græcos Latinosque putasse, quare sacram illam nominabant, ut & de Ægyptiis legimus, illos aquam adorasse, conspersamque in populum vitia delere credidisse. Eandem virtutem Persæ aquis Mithræ, Græci Hissi, Justinus, Virgilius, Curtius, Romani generatim aquæ Mercurii adscribebant. Divinum cultum tribuebant Cares fonti Salmacidi, Syracusani Arethusæ, Samii fonti Junonis, Græci Hippocr. Romani fonti Blandusæ & Chamænarum & sacrificia offerebant. Lacedæmonii stagnum non procul ab Altaribus Æsculapii, Phrygi Mæandrum & Marsiam fluvios, Ægyptii Nilum, Indi Gangem pro sacris habebant. Romani quovis anno Id. 3. Octob. ut ex Varrone accepimus, Fontanalia sua celebrabant, fontes fertis cingebant, & in aquam flores spergebant, hinc natum illud: Si aquam hauris, fontem corona. Atque adeo jurantis sponsione facta ad ejusmodi fontes perjurii ulti res accedebant, ut Aristoteles de Acadino, Solinus de Sardiniæ, Philistratus de frigido Thyanæ fonte notant. Credebant etiam, quod Dii & sidera nutrimentur vaporibus ex mari & fluminibus ascendentibus. Quare optime monuit Hesiodus, ut ne quisquam aquam transcederet, nisi effusa prius devotione precum.

Si denique ad fontes soterios & thermas accedimus, quam miram aquatum dignitatem

gnitatem deprehendimus in illarum natura, calore, effectibus! Quis est, qui illos non mirabiles plane dixerit? Sacras illas jam olim Aristoteles nuncupavit; alii ex priscis Ethnicis ut morbos ad iram Deorum immortalium, ita & ideo Deorum manus illas vocabant, & eas maxima reverentia velut Deorum munera adire relicto aut sacro & voto solebant. His fontibus ut morborum domitoribus Ephydriades praesesse putabant; Calderianos Junoni, Granios Apollini, Borbonicos Mammonæ, Albulas Hyegeæ, Clusias Æsculapio sacrabant. Immo inter Christianos quoque obtinet, ut a Divis nomina gerant; Nec immrito Greg. Nazianz. L. II. Theol. hæc balnea Dei gratuita munera appellat, pauperibus & que ac locupletibus communia & libera. Et profecto, ubi artis opus deficit humanæ, natura hic loco artis est, immo longe illam superat. Nam si vera fateri velimus, optimam medicinæ partem hoc aquarum genus constituit, divina plane præstat in morborum curatione, & quæ ab aliis remediis frustra expectantur, ubi omnes etiam auxiliorum apparatus vix sufficiunt, divinum Auctorem Deum T. O. M. agnoscens atque non nihil ex benignitate miraculorum divinorum participans; unde & illud ultima appellatio Medicorum dicitur. Hæc officina est, in quibus Natura ipsa medicinam facit, artis suæ Majestatem infinitis miraculis quot diebus declarat atque confirmat. Inter ejusmodi primas facile hodie numerantur Thermæ Hirsch. grato & dulcissimo patriæ solo memorabiles; eas idcirco dignas habui, quas

curatius considerandas aggrederer. His ausibus Deus T. O. M. veritatis & bonitatis fons inexhaustus ex alto clementissime indulget.

C A P V T I.

Thermas Hirschbergenses secundum situm, ortum, faciem conditionesque alias externas describit.

§. I.

Silesiæ felicis felicitati quoque thermæ Hirschbergenses famulantur, quæ in Silesiæ inferioris Ducatu Jauroviensi juxta fines Bohemiæ, & montes, quos Ptolemæus, Sudetos videatur appellasse, versus meridiem spectantes, situm suum obtinent. Hirschbergenses vulgo vocantur, quia supra Hirschbergam (haud ignobile oppidum, ædificiis sat elegantibus ornatum, civibus non infrequens, atque mercatura linteaminibus candefactis, apud exterros quoque celebre) in pago quodam, ad quem ab ipsa campestri & amœno unius saltem horæ itinere itur, cui a thermis nomen (Warm-Brunn) inditum est, promanant, ut solent fere hi calidarum aquarum fontes locis in quibus scaturiunt, aut nomen & celebritatem afferre, aut a vicinis assumere, neque alio modo multa in Germania, Bohemia, Hungaria, Helvetia, Anglia, Gallia, Hispania alibique clara sunt loca. In medio enim hujus pagi ipsæ thermæ monstrantur, ædificiis binis separatis circumstructis conspicuæ. Regio edita & tota est ferme montana, vallibus arborum virentium serie obsitis,

obsitis, sylvis in magnum spatium diffusis, & saltibus, proceris arboribus umbrosis, pratis gemmantibus, segetibusque ad prospectum jucundis interdistincta, plana tamen & recta regione magis, minus in latitudinem spatiofa. Qua vergit ad orientem & septentrionem, ad latera utrinque montes interpositi depresso magis, ventorum aditum concedunt, qui vario limine exsurgententes tandem paulatim cum aliis iisque altioribus coeunt, concatenatis eorum tractibus planitiem claudunt. Versus meridiem praesertim in agros fertilissimos ac prata laetissima oculis ad milliaris spatium ad usque arcem elatam decurritur, ubique objecta rerum facie qua nihil cerni jucundius venustiusque potest. Exinde elati montes ab hac plaga ad occidentem maxime se extendent, pone quos perpetua praaltaque montium Sudet: jugera jacent. Cum itaque regio alta sit & montana, saluberrima illa habetur. Hinc & Plato jam memorat, se in altissimis & temperatis regionibus invenisse valde longevos. Hinc & Apennini montes Lydiæ, Athos inter Macedoniam & Thraciam mons, eo nomine celebres sunt, quod incolas sanos alant atque longevos.

§.II. Solum est modice siccum & alendis frugibus sat mite, ac arboribus & fruticibus resinosis, balsamicis plantis & herbis variis generis suavefrigrantibus, (quarum major copia, quam vel in Hammonio saltu & Colchide) quæ aërem attenuare & salubriorem reddere possunt, & pascuis pecorum pinguibus & salubribus frequens existit, ibidemque laetis inerrant collibus densi greges.

Interfluit pagum fluvius ex ipsis montium jugis
promanans Zaka dictus, qui cum Bobera prope
Hirschbergam suas aquas miscet, nomenque su-
um dimittit, quibus ibi confluentibus. jucundo
spectaculo duos hos fluvios, colore aquarum dif-
ferentes, aquis quasi separatis, ad tempus proflue-
re cernimus, usque dum magis magisque inter se
commisceantur, & unitæ deinceps montes, utro-
que latere prominentes, nemoribus obsitos recto
alveo stringunt, & inter illorum angustias ad se-
ptentrionalem regionem simul inter se uniti de-
currunt. Insuper variis aliis & perennibus cry-
stallinis aquis, glareosis, dulcibus dulcique stre-
piru per rivulos torrentesque decurrentibus, &
vel in media æstate gelidis, gustui non ingratiss &
optimis, salubribus (nec Nili ideo aquis secun-
dis,) abundat iisdemque rigatur. Nulli lacus
nullæque paludes ibi inveniuntur, vel non tales,
quæ aërem inquinare possent; Sic & perflatur
aëre elasticò, æquali, sereno, puro, salubribus
ventorum flatibus agitato, ad frigiditatem tamen
potius inclinante. Idcirco placida Cœli tem-
peries verno alias tempori maxime similis,
omnesque deinceps anni partes pari salubritate
percurrit; nec alia regio in tota Silesia (ne ma-
jus quid dicam) salubrior habetur. Adeo beni-
gno vultu respicit illam Cœlum, quam florida
Silesiæ Tempe non inconvenienter dixeris. Ja-
ctet vicina Bohemia vid. Balbin. c. 5. Misc. hist.
R. B. aëris sui salubritatem, Neapolis Neapolita-
ni.. Jactent Hispani ea propter Madritum &
Granadam, Brasiliam alii. Jactent antiqui insu-
las

las Canarias, Fortunatas, urbem agrumque Athenensem, nos aëris nostri salubritatem merito extollimus, quia patriam nostram commendat. Jure ipsa illi vendicat gloriam, quam Nonius Brasil. Hispaniæ tribuit. Hinc & non facile morbi contagiosi, epidemii, maligni, pestis &c. obveniunt, nec si aliunde forte illuc transferantur, diu durant. Incolæ ac accolæ inde quoque sani, vegeti, robusti, alacres, longævi, moribus integris & jucundis apprehenduntur. Quo speciatim memoria subit Valer. Henr. Voglerum in Dicit. Comment. Cap. 26. p. 184. observasse in thermarum accoliarum corporibus atque adeo eorum facie, vim aëris exigue subterraneo, quem supponimus, ejusque vaporibus exeuntibus calidioris ac siccioris comprehendendi. Sicque in illis reperiuntur agris; quæ delectant, quæ juvant, aëre, aqua & loco in communem quasi salutem conspirantibus.

§. III. Quumque regio ista plurima ex parte montosa sit, multæ mineræ, metalla, etiam nobilia atque lapides &c. illam commendant, quæ condit. Quare montes illos non telluris inania tubera, sed ubera verius habeas, ut & olim maximum lucrum ex illis redundabat. Si quidem hoc nostro quoque ævo per aliquot ab hinc lustra variæ metallorum nobiliorum venæ hinc inde inventæ sunt, immo hodie adhuc debito instrumento adhibito, multis in locis vicinis illæ patefiunt. Ne multus nimis in recensendis illis videar, de singulis remitto B. L. ad Schwenckfeldium, Hennelium aliosque, saltem

additurus, quod magis ad præsens facit institutum, atque ad ortum, indolem & ingredientia thermarum demonstranda, (aquæ enim a mineralis locorum suorum natalium participare solent) nimirum dari circa Hirschbergam & in montibus Riphæis (a Riphato Gomeri filio, Riphæorum Sarmaticæ gentis Principe, ut Ptolemæi lectio habet) dictis & fabulosis infamibus larvis, varios fontes sulphure scatentes, dari & alios vitriolum & ferrum continentibus; quin immo acidulæ binæ in ipsis montibus Sudet: reperiuntur. In ipso pago juxta molendinum, rivulus a pagis & montibus adjacentibus excurrit, qui secum copiosam terram luteam, particulas ferreas continentem, advehit. Schmidebergæ divites ferri fodinæ habentur. In pago Schreibersau alumæ & vitriolum confectum est. Argillæ quoque varii coloris, nigræ, albæ, luteæ, rubræ circa Hirschbergam, circaque pagos thermas adjacentes se produnt.

§. IV. Aëstimato loco, cœlo & terra, quorum aestimatio in ejusmodi scrutinio utique necessaria est, atque ansam concedit, ut natura & particulæ specificæ, quæ ingrediuntur, felicius evolvantur, simulque salubritatem quandam indicat, quoniam aquæ de illorum puritate participante, jam proprius accedamus, ut fontes nostros perspiciamus. In ipso pago Warmbrunn thermæ nostræ ex duobus diversis fontibus, exiguo intervallo inter se distantibus, placide scaturiunt: uterque hodie ædificiis binis separatis circumdatus est atque inclusus; intus totum thermarum ambitum tepi.

tepidaria atque apodyteria in usum balneantium
 circumveniunt. In medio illorum ædificio-
 rum colliguntur thermarum aquæ in scrobibus
 effossis, quæ utraque circulo fere sexangulari
 lapideo inclusa est. Alter ex his fontibus ad
 Illustriss. Familiam Schafgotschianam & san-
 guine & virtute claram propaginem, alter ad
 Abbatiam Grüssensem ejusque Præposituram
 ibi constitutam pertinet. Uterque æquali fe-
 re ambitu, latitudine quinque circiter pedes,
 profunditate totidem fere cubitus complectitur,
 ut in singulo XX. homines simul sedere ad men-
 tum usque aut stare possint. Quo longius ad
 inferiora versus protenditur ille, qui ad Cœno-
 bium pertinet, paulatim subjectæ petræ arctius
 coëunt, & angustius inter se spatium aquis re-
 linquunt. Ex his saxis partim arte, partim na-
 tura, partim vi aquæ profluentis excavatis, con-
 tinuo & æqualiter aqua scaturit, fundus glaream,
 cum lapillis ophthalmicis dictis, & lutum, tan-
 quam fontium matricem, sulphure, bitumine,
 granis ferreis mixtum, fusco ex viridi luteo cœ-
 ruleoque colore variegatum, tenet. In altero
 ex saxoso quidem strato, sed argilla & luto molli,
 pingui, lento, cœrulecente, copioso, arena
 intermixta tecto, diversis in locis scaturigines
 profiliunt. Si ad summum fastigium pervene-
 rint aquæ defluentes, per canales educuntur, &
 deferuntur ad lavacrum pauperum dictum, pau-
 peri nimirum plebeculæ liberum relictum, & ex
 hoc tandem iterum in alia scrobe colliguntur,
 quæ deinceps balneum equorum dicitur, in
 quod

quod nempe equos paralyticos, defatigatos, debilitatos variisque morbis corruptos, equisones ducunt, ex quo in præterfluentem fluvium Zakan desfluunt. Si exhauriuntur fontes ad summum repleti, ille, quem Dn. Præpositus Cœnobii possidet, intra III. cum dimidia horas circiter, tardius vero ad dimidiā ferme horam Illusterrissimi Domini Comitis fons aquis iterum adimplentur, & ad fundum usque descensos aquæ sensim scaturientes in altum simul evanescunt atque protrudunt,

§. V. Thermas intrantes in limine statim odorem lixiviosum, sulphureum fumum ac tenebrosum offendunt; plus autem odoris sulphurei & lixiviosi in Thermis Schafgotschianis deprehendes. Aqua in utroque fonte limpida, clara, pellucida, ex albo cœrulea est; Schafgotschia narum tamen Thermarum color ordinario magis turbide albicat, cum multis exorientibus & carentibus bullulis conspicitur, & ad cuiusvis tolerantiam calida utraque aqua deprehenditur. In superficie tenuis quasi tremor rarus, pinguisculus, interdum integræ bituminis, maxime in thermis ad Abbatiam pertinentibus, particulæ, plumarum instar flocculorumque interdum & cinerei pulvisciuli quasi internant. Ubi iterum defluxit aqua & per aliquod temporis intervallum subsistit, cuticula crassior & ex cœruleo obscura, flavis ac splendentibus punctis & maculis distincta, odoremque sulphureum ex parte redolens cernitur. Subjectæ petræ tabulæ ligneæ mucus viscidus, immo interdum

terdum materia sulphurea florū ad instar sulphuris afferibus succinatis adhæret. Sic & in faxīs, super quā defluunt aquā, relinquunt tenuē & viscosum, ex atro cœruleum lutum & spumam, in transitu tandem ochram albam, gyphseam, friabilem & in fistulas quasi (quod singulare) digiti & manus longitudinem æquantes cuspidatas formatam, ad canaliū laterā deponunt, quā ex molecularum separatione, præcipitatione, exsiccatione & coagmentatione per defluxum aquarū thermalium subnascuntur, simili propemodum modo ac videmus, naturam in coralliorum generatione procedere, de quo videtidus Baccone observ. III. p. 53. & 57. Atque suspicor, fundamentum illarum (fistularum) fibras esse ex canalibus ligneis avulsis, ad quas ejusmodi materia tartarea p:æcipitata apponitur, ac sic fundamento quasi posito & apice deorsum aqua stillante, fistulas has quoque formari.

§. VI. Duos hos fontes circumveniunt domus, ad usum quidem potius quam cultum exstructæ, in quibus advenæ commoda domicilia inveniunt. Cæterum omnia ad viatum, necessitatem ac commoditatem vitæ pertinentia, mediocri pretio venalia prostant, nihilque deest, quod ad suavem sustentationem requiri possit. & quod forte pagus negat, Hirschberga facile dabit. Multa enim, quā in deliciis alias habent solent, indulgentia almæ Naturæ huic nostræ Regioni indulxit, & quā non sunt hujus regionis, hæc importantur a finitimis Bohemis, Hungarisi,

garis, atque Polonis. Ad ambulationes instituendas, motioneque corpus exercendum, simulque per eas animum recreandum & oblectandum, non tantum ab Illustr. & Excellentiss. D. Comite in hortum prope arcem conspicuum exspatiandi libertas conceditur; sed & invitant circumjecti patentes virentesque campi amoenissimi & nemora, quæ oculos animosque, jucundissima varietate oblectant: Namque invenies, ut dictum, hinc inde jucundissima ambulacula, mirifice hominum animos recreantia. Si enim planitierum æquabilitatem, camporum ac pratorum viridaria amas, virentia ubique germinantis & fluctuantis segetis arva videbis. Si colles mavis, non procul diversos eosque amabilissimos arborum frondentium multiplici umbrifera serie delestantes, florum fragrantium suavissimos odores spirantes offendes. Si vallum delicias perlustrare velis, si vertices montium editiores quæris, in quibus circumiacentium regionum, ac amœnæ varietatis naturæque parturientis variegatæ voluptatis, in longum latumque intuitus est amœnissimus, undique præsto sunt hæc omnia. Si petrarum declivitati adhærere aut si antrorum latibula perreptare tibi volupe sit, si nemora & sylvas umbriferas & grato diversarum avium cantu resonantes, si flumen, rivulos, torrentesque suavi cum strepitu excurrentes præferas, in vicinia spectabis omnia. Visuntur undique egregio spectaculo cominus eminusque pagi, visuntur arcos, hic vetustate, illic novitate se ostentantes.

tantes. Ut taceam jam de multis ingenua liberitate & festivitate conjuncta, mutuis urbanitatis officiis, honestis, hilaribus, amicisque colloquiis & conversationibus, quibus in ipsis balneis, omniq[ue] tempore opportune convenientium conciliantur animi. Dignantur hic singuli eos amicitia, qui accessum & notitiam querunt & pro sua sorte unusquisque ad consortium comitate admittitur, inferiores gratiam ineunt superiorum, hi largiuntur eam illis, amica & hilaris familiaritas inter æquales stabilitur. Est hic certe major quam alibi animorum voluntarumque consensio, & societas, fides ac benevolentia mutua, quibus sociabilitas locupletatur atque augetur. Nec non obvenit varia alia non raro animum laxandi occasio. Quæ cum ita sint, non mirum esse debet, si peregrini his commoditatibus allecti, quotannis ex dissitis etiam locis, non solum in columitatis recuperandæ, aut saltem stabiendi & in plurimos dein annos conservandæ, sed & integra etiam alias valentes auræ vitalis ac salubrioris hauriendæ, atque suaviter vivendi animumque recreandi oblectandique causa primæ quoque dignitatis personæ atque ejusmodi, quibus in deliciis vita est posita, numerose accedant ac aliquandiu ibi commorantur.

§. VII. De initiis, quibus ortæ sunt thermæ nostræ, hoc scire licet, prout accepta a majoribus memoria refert, quod nimirum inventio & instauratio earum Boleslao Crispo Silesiæ Duci Anno MCCLXXV, debeatur, qui amore-

amœnitatis loci venationumque opportunitate ductus, has oras sœpius accessit, diuque ibi consedit, cui venatores, cum feras prosequeretur, hos fontes calidos casu inventos, indicaverunt, ex quo sic excitatæ sensim in annos aegeri cœptæ sunt, atque celebritatem magnam, qua hodie gaudent, acquisiverunt.

C A P U T II.

Originem & causas thermarum generatim & speciatim Hirschbergensium exponit.

§. I.

Thermæ eandem dubio sine originem, ac alii fontes simplices agnoscunt; unde autem fontium origo sit deducenda, autores variant sententiis. Existimant multi, aërem condensatum esse fontium causam, esse vapores aqueos a calore ignium subterraneorum resolutos & per poros terræ elevatos, atque denum frigore torpescentes, sicque in aquam iterum conversos &c. Et dum ex mari per anfractus terræ aquam deductam & collectam præsupponunt, usque dum a calore in vapores resolvatur, dulcedinem huic destillationi quasi adscribunt, mediante qua partes salinæ in partis terræ deponerentur, atque remanerent, ex quarum collectione & concretione sal fossile, salinas &c. deducunt. Quæ a R. des Cartes P. P. IV. p. 122. egregie facta atque picta apparent.

§. II. Verum judicet, qui volet, statuat, qui potest. Cur ego ab illis dissentiam, cause mihi bene multæ suppetunt, quæ me hortantur ac movent, ut illa in aquam, quod ajunt, mittam, & Bartholini vestigia premam, qui faciliorem & commodiorem viam demonstravit, & ratione & sensibus magis consentaneam experimentisque firmatam, ut non necesse habemus circuitione hac uti, & longius petere argumentum. Explicaboque illud, ne ratio desit asserto, nec vires rationi: Scilicet non negandum est, quod jam lateant latices concreati hinc inde, & hydrophylacia in terræ visceribus, etiam in altissimis sæpe montibus ut: habentur in ipsis vicinis montibus Riphæis binæ istæ piscinæ vel potius lacus, quæ aquæ subterraneæ & per canales suos fluunt, refluuntque; Constat hoc ex multis Autorum observationibus & relationibus, sciunt & hoc metallifossores & fossores puteorum &c. qui fodiendo fere ubique terrarum vel spatio saltē sex ulnarum perfosso, aquas ad minimum terram humidam offendunt. Largiamur Aristoteli, aliquam ex vaporibus subterraneis aquam generari posse, fluuntque & fluant multi fontes & flumina ex Oceano & mari per pressionem, per gravitatem, perque fluxum refluxumque ejus non tantum vicinis ei in locis, sed & interdum satis remotis; (quamvis compertum sit, loca mari proxima fontibus fere destitui.) Quis tamen temere credit, fontem thermarum nostrarum & vi-

einorum fluviorum Boberæ atque Zakæ in Silesia e mari excurrere? Minime igitur existendum est, hanc vel illam causam solam sufficere ad constituendos tantorum & omnium & semper & ubique fluminum perennes fontes atque illorum originem. Taceam, a Staticæ & Naturæ legibus valde alienum esse, aquas ex mari tam longe lateque penetrare, & subterranei ignis ope per compactam terræ compagem destillari; aqua enim vix ac ne vix quidem instantam altitudinem potest ascendere; nam montes ad adeo altum fastigium supra superficiem maris, cuius computum Clariss. Scheuchzerus iniit, ascendunt. Quod dentur hujus rei plures causæ, exponit multus in hoc argumento, nec indiligens censor J. Vossius de Nili & aliorum flum. orig. c. 5.

§. III. Perinde pro vero accipio, quod maximum non modo incrementum augmentumque sine dubio a pluvialibus aquis nive liquefciente, grandine, pruina, rore vaporibusque quotidie ingenti copia ex mari aliisque stagnis & fluminibus evectis, maxime hæ aquæ subterraneæ suscipiant, quæ per porosam, arenosam telluris substantiam per lacunas, hiatus, rupium rimas commissurasque penetrant, usque dum loca lutoſa, argilloſa & saxeа, quorum ingentia strata sub terra & frequentius ad montium apices dantur, de quibus Kircherus in Mundo subterraneo testatur, offendunt, quæ ita sunt comparata, ut tabularum ad instar super tabulas posita

posita sint, eum propemodum in modum, quo
flumina inundantia diversis temporibus loca
demissa variis materiis replent, quæ quoad fi-
guram, magnitudinem, extensionem, ductus va-
ria sunt, quibus in stratis fundamentum gene-
rationis fontium consistit, ubi in pelvi velut
colliguntur aquæ, & cum sèpius hoc fiat, al-
veos sibi formant & postea subinde aliarum af-
fluxu auctæ & ex plenis receptaculis suis qua-
data porta, per occultos meatus perque certos
canales ex terræ gremio aut ex his stratis efflu-
unt, atque sursum adscendunt ac prosiliunt. Nec
absconum hoc consideranti videtur: fontes repe-
riri maxime in locis humilioribus, vallibus, mon-
tium radicibus, & omnia fere grandiora flumina
ex perennibus montium altissimorum & vasto-
rum jugeribus provenire, & quo longior, quo
magis continuus montium tractus; quo montes
altiores, eo copiosiores, diuturniores & in al-
tum magis profientes, limpidiores quoque, pu-
riores & salubriores (quoniam altius feruntur,
ubi impuritates separantur) dari fontes; In
campis vero patentibus flumina omnino pauca
ac fontes fluere. Conveniens, nec inelegans
Regis Prophetæ Davidis le&io est, Ps. CIV, 10.
Tu scaturire facis fontes in convallibus, ut in-
ter montes fluant &c. Ob quam solam causam
ad fontes nempe constituendos, juxta bene mul-
tos alias usus montes perquam necessarios pa-
riter ac utiles esse censeo, ac ideo etiam Dei
Omnipotentis & Sapientissimi rerum Condito-

ris opera ejusque providentiam admiror ac ve-
neror. Neque impossibile æstumanti apparet,
tam vastum jugerum montium spatum & tan-
tam copiam aquarum pluvialium capere & in
sinu colligere posse, ac guttas pluviales vel in
exiguo temporis v. gr. unius saltem horæ spa-
tio, magnam aquarum copiam conferre; cuius
rei calculum congestum legere potes in Hap-
pelii Mundo Mirabili P. I. Lib. II. Cap. V. Si
& ulterius perpendimus, res evadet certior, in
illis nempe montium cacuminibus, ubi aër sem-
per frigidior existit, nubes & vapores, concen-
trans, condensansque per continua & integra
illorum dorsa frequentes dari vapores, unde
quotidie fere observantur nebulæ & spissæ nu-
bes pluviam continuo stillantes, licet in valli-
bus serena tempestas existat, vel in convallibus
quoque illorum, qui nubes excedunt, quod de
Olymbo, Acho, Tenariffa, Pericaca (monte
Peruviano,) monte Veneris in agro Patavino,
Apennino &c. dicitur, quorum ad cacumina,
neque ventus, neque pluviæ unquam pertin-
gunt, quoniam atmosphæræ humidiores exha-
lationes adscendere usque ad horum apicem
vix possunt. Immo quandoque serena satis
tempestate ex improviso imbræ ingentes inibi
cadunt; quod in vicinis nostris montibus Ri-
phæis ordinario fere experiuntur ibi degentes,
& spectri illius noti, vel ficti verius ludibrio,
vulgo Rupicinæ (Riebenzahl) adscribunt cre-
duli.

§. IV. Dictis facit fidem Halley, qui in montibus S. Helenæ Insulæ tantam condensationem vaporum etiam serena tempestate expertus est, ut intra XV. minuta vitra guttis ita madefierent, ut essent abstergenda, & charta tam brevi tempore ita inficeretur rore, ut atramentum humore dilueret. Quantum decrementum per dies singulos fluvii experiantur aëre sicciori existente, quantumque e contrario crescent pluvia per paucos saltem dies durante, vel nive liquefciente, nemo non novit. Hinc in desertis Arabiæ, aliisve locis calidioribus, ubi raro pluit, rarissimi quoque sunt fontes, & perpauci amnes, vel plerumque mox deficiunt & qui fluunt, ex longe distantibus locis deferruntur. Quin immo observamus, quod ista flumina, quorum præcipua primordia ex altissimis & vastissimis montium jugeribus devolvuntur, non adeo facile exsiccentur. Sic Nilus Ægyptum, Niger Nigritiam inundat existente maximo solis calore, quia nimirum in Abyssina, unde fluunt, ex montibus forte Lunæ & Thala tunc temporis imbræ cadunt copiosissimi per longum temporis intervallum, & nives liquefcunt. V. P. du Vall. Geogr, G. P. I. p. 189. Pariter Menam fluvius regnum Siam rigat, quod accedit vernali tempore, quando per tres integros menses pluit, vid. Mandelsloh. Itinerar. P. III. p. 184. Jeniscea & Divina Moscoviae fluvii Martio & Aprili ex liquefacta nive & pluviis adeo augentur, ut ille regionem LXX. mil-

har. quam ad latitudinem excurrit, riget. Vid.
 Talanders historische Reisen B. II. p. 7. Hinc
 modo laudatus Halley fluvii alicujus magnitu-
 dinem aquarumque, quas exonerat, quantitatem
 proportione respondere longitudini atque al-
 titudini jugerum, unde ejus scaturigines exsur-
 gunt, metitur. Qui fit, quod thermæ piperi-
 næ in Rhætia magno strepitu aquarum erum-
 pant quotannis circa initium Maji, & desinant
 fluere circa medium Septembris? Non est, cur
 dubitemus, causam hujus fluxus esse nives tunc
 temporis in altissimis montibus liquefentes.
 Similiter fons Tophanus, dictus Ananiæ, in
 Campania hyeme siccatur, ineunte Vere vero &
 per totam æstatem aquis abundat. In Vallesia
 reperiuntur fontes quoque tales & in Hispania
 & Scotia. Rhodanus fluvius & lacus Lemanus
 æstate semper majores sunt, quam hyeme. Et
 si (quod cursim saltem addo) in regionibus ca-
 lidioribus rariores sunt pluviæ, copiosiores ta-
 men accidunt rores tanquam pluviarum vica-
 rii; (hinc etiam apud nos videmus, quod quan-
 do mane ros non decidit, eadem die pluat)
 quare a Plinio H. N. l. 2. c. 62. roscidæ æstate
 noctes Africæ memorantur. Addendum &
 hoc est, quod fluminum fontes parvis & diver-
 sis rivulis ex diversis & dissipatis sæpe locis ex-
 orientibus primum erumpant, usque dum in
 itinere plures rivi illis accedant & molem aqua-
 rum magisque augeant, & omnes in progressu
 majores fiant. Nec est, cur S. Scripturæ locus

Eccles. I. 7. ubi dicitur, quod omnia flumina ex mari fluant & iterum refluant in illud, ab hac sententia nos deducat, cum facile conciliari possit, statim quoque comparet indicium, quod vaporess ex mari & deinceps fluminibus adscendentess, per ventos forte in longinquum propulsis, fluminum futurorum incrementa sint & rudimenta, quæ omnia iterum tandem se in mare exonerant. Ut quis astimare possit, quanta vis vaporum exinde toto die adscendat, demonstratum reperies in D. Clerici Phys. T. III. L. II. c. 8. p. 189. Nam præter mare & fluvios vaporess quoque ex terra humida aliisque corporibus elevantur, quod observare licet die calidiori & aëre quieto existente, ex terra humida tantam vaporum copiam adscendere, ut crassæ exinde nascantur nebulæ. Exakte huc quadrat illud Hermetis : Quod est superius, simile est ei, quod est inferius. Quæ res adeo manifesta est, ut existimem, non ulterioris egere probationis : Hinc statim a principio mundi vaporess e terra adscendisse, & ejusdem totam superficiem irrigasse, in Genesi legimus, & nubem de mari adscendisse & largissimos fudisse imbræ. Flumina cæterum lacus, deinceps alios fontes & rivos, dum intus ab iis emanant, concedunt, & hi rivuli collecti aliud iterum flumen &c. hinc videre est circa grandiora flumina copiosiores fontes, rivulos, thermas, acidulas scaturire : quamobrem reperies fontes, qui pro illorum incremento aut decre-

mento decrescunt aut augmentur. Rursum multi dantur lacus & flumina, quæ per cryptas subterraneas se abscondunt, & longe disto demum terrarum spatio iterum proveniunt, interdum longe minora, indicio in itinere sub terra rivos aliorum mittere, quo nomine noti sunt fluvii, Rhenus, Albis, Tigris, Alpheus in Achaja, Anas in Hispania, (hodie Guadiana,) Lycius in Asia, Timavus in Istria, quidam in Carniola rivi & lacus vid. Valvassor. Ehre des Hertzogthums Crayns T. I. p. 161.sq. & p. 541. Exinde si revocare animum ad præcedentium memoriam libet, ratio causaque repeti potest, cur fluvii interdum, si aquis præter modum abundant, annonæ caritatem præfagiant, deficiente nimirum deinceps humiditate in poris terræ, quod in primis notatur de Lucalibus aquis in agro Senensi, Sancti Reguli fonte ad Pientiam, lacu Vadimonis in Italia. De alio fonte Candia idem accepimus. Adeo hæc vera sunt, ut jam existimem fontes nostros ortum suum trahere non ex Oceano, (quoniam hæc petitio nimis esset diffusa) sed ex vicino fluvio Zaka, vel ex montibus vicinis.

§. V. Quando igitur hæ aquæ subterraneæ per mineras, vel juxta illas decurrunt, & varie partes illarum solutæ illis vel solidæ vel fluidæ vel sub vaporis specie pro varia partium mineralium indole atque conditione, copia, mixtura varie componuntur, miscentur, varias constituant

stituunt aquas minerales medicatas, fontes so-
terios acidulas, & thermas, quoque citius ex
terra mixta & calefacta &c. effluant ; eo cali-
diores, eoque vegetæ magis deprehenduntur.
Memorandus inter exempla hujus rei Hymera
Siciliæ fluvius, qui postquam egressus aquarum
facit divortium, ea pars, quæ vergit ad Ætnam,
ob purum solum, gratiam dulcedinem, altera
vero, quæ falsas præterfluit fodinas, ingratam
falsedinem refert. Pariter Hyparis fluvius in
Ponto per multa millaria a fonte suo dulcissi-
mus est ; in transitu vero fontem quendam re-
cipit, ex quo per multa iterum millaria amaru-
lentus fluit.

§. VI. Rursus ipsæ hæ aquæ, de mineris aliis
illarumque exhalationibus minus laudabilibus
participantes varia nocumenta, morbos afferunt;
ut annotatum est : aquas, quæ per plumbeos
canales excurrunt, dysenteriam, tremores ar-
tuum & pallidum corporis habitum efficere;
Multæ ejusmodi in Æthiopia inveniuntur aquæ,
in Alpibus, & quibusdam Italiæ locis circa Li-
gerium, Duriam & Padum fluvios, in Insula
Chio, Susis Persar. Insulis fortunatis. Alias
recensent Vitruvius, Seneca, Plinius &c. In
Træcenis Vitruvio teste potæ pedibus vitium
contrahunt. Plura collegit Agricola L. II. p.
544. In vicinia circa Schmidebergam & pago
Hermans-Seiffen plurimi scaturiunt fontes, quo-
rum aquæ potæ strumas procreant; Fontes hi
limpidi conspicuntur, saporis & odoris exper-

tes, aquæ decoctæ, vel evaporatæ limum flavescentem relinquunt in fundo, cum residuo pingui subnigricante distincto, acrem referente saporem.

§. VII. Dari vero exhalationes minerales aëreas metallarii sciunt, quæ non raro adeo sunt fortes, ut arbores, herbas &c. afficiant, atque comburant; eapropter & vulgus loca, in quibus frutices, arbores & gramina non crescent, vel arida & exusta & marcida quasi conspiciuntur, metalla intus continere nec sine ratione affirmat. Quin etiam referente Bechero in Phys. subterrani. p. 71. ejusmodi exhalationes ad aliquot milliaria nares hominum petunt. Porro in ipso mari observamus ejusmodi exhalationes oleosas, pingues & sulphureas, cum variæ coagulationes ibi reperiantur, quales sunt: succinum, ambra &c. Quin immo multi reperiuntur, qui virtutes lignorum, florum, herbarum, fruticum exhalationibus mineralium adscribunt.

§. VIII. Ab aqua ad ignem, ne aquam (ut ajunt) perdamus. A calore thermæ dicuntur, ac nil nisi calidum fovent, spirantque. Unde vero calor illarum veniat, hoc opus, hic labor est, qui Eruditorum omni tempore torfit tortu quo adhuc ingenia. Et sane calor iste perennis isque in quibusdam thermis maximus omnibus illum intuentibus potest esse mirabilis. Fateor equidem, maxime Ciceronis effati memor: Multa esse, quæ nos fallunt, probabilitate

te magna, quanto subterraneorum, utpote abditorum fiendi modus abstrusus & obscurus, tanto difficulter aditum in naturæ laboratorium, tantoque difficiliorem ejusdem censuram esse. Et quis est adeo oculatissimus Argos, qui in hanc officinam perspiciat? Quis quæso lapidum, quis metallorum &c. genesis vel ad oculum vidit, vel evidenter exposuit? Attamen si experientia & principia mechanico-physica & chymica in auxilium vocentur, non dubito, quin afferri possit vel adeo probabilis conjecturæ argumentum, quod quemvis facile consentientem promittat. Mitto itaque baratum Platonicum, ex quo, tanquam ex centro terræ inibi perpetuo hospitantes ignes per meatus terræ apertos continuo spargi & aquas has calefieri, quidam somniant: Nondum enim nobis satis illud probatum, stabilitum atque explicatum, cur tam pauci tantum fontes calidi profluant, &c. derunt. Mitto Aristotelis sententiam lavacra calida a sulphure admixto calefieri, cum multæ thermæ omni sulphure destituantur. Mitto flatus, spiritus calorificos, vapores, unde calorem terræ proprium cum Mileo & de Dontis Jul. Alexandr. Leon. de Capua & Horstio derivant aliqui, & aquam calefieri exinde volunt. Mitto ventos, quos per terræ meatus patulos intus penetrantes, ibidemque vapores calidos in centrum quasi ad instar vaporum in nubibus colligentes, & tandem fulgura & tonitrua producentes, aquas servidas efficientes sibi alii fingunt.

gunt. Sed unde illi vapores jamdum calidi,
 vel ista calorifica virtus in terris? An non calor
 illorum aliam adhuc causam præexistentem re-
 quirat? Unde dein calor ventis absentibus &
 finitis? & quis sibi facile concipiat, quomodo
 calentes ex profundissimis terræ abyssis vapores
 divagantes iterum in uno quasi puncto coire
 possent? Possibile an sit vapores per frigidas
 terras vagantes calorem tantum diuque retine-
 re? Mitto & aquarum velocem cursum, & il-
 larum ex alto descensum, quem aliqui allegant
 motu suo aquas calefacientem, sicuti aliæ res
 motu solo calefieri assolent. Sciant motu qui-
 dem illa calefieri, quæ sulphur secum vehunt;
 illud vero ubique in aqua non dari constat: Ne-
 que argumentum ab incalescentia maris ventis
 biduo vel triduo agitati omni exceptione ma-
 jus est, alias & flumina, quæ vel ociori præser-
 tim feruntur cursu, uti Tigris, vel ubi magno
 aquarum strepitu cadunt, vel illiduntur, & aquæ
 in machinis hydraulicis varie exagitatae, commo-
 tæ & ex alto descendentes incalescerent. A
 vero quoque aberrare videntur illi, qui calo-
 rem ab antiperistasi quodam a frigore facta de-
 ducunt; hoc enim si esset, ubique etiam terra-
 rum ferventes ex parte terræ corticali scaturire
 deberent aquæ. Multo minus illorum argu-
 menta philosophica sunt, qui radiis solaribus
 per terrarum poros penetratis, ac in profundo
 roboratis, fortiusque calefactis fervorem ther-
 marum adscribunt: Quomodo hi in tam remota
 & dura

& dura s^epe ac saxosa loca atque profunda a-
quæ penetralia penetrare possent, cum constet
ad duos saltem passus solem pertingere? Quo-
modo æqualem & constantem hyeme & æstate,
nocte dieque, semper calorem efficaret? & cur
non etiam calor solis ubique interdiu præsens
alios & omnes fontes atque rivos calefaceret?
Idem judicium esto de illa opinione ac si ful-
men calefaceret aquas. Philosophos Stoicos,
Zenonem, Cleantem, Chrysippum &c. insitum
aquarum calorem volentes securus forte est Pa-
racelsus opinatus, & aquas calidas a Deo in
creatione mundi statim & frigidas conditas se-
gregatasque denuo esse. Fabula statim se pro-
dit hoc indicio, quod iterum refrigerescant, quod
vero minus fieret, si calor iis concreatus esset,
sed & indefesso Heinrici Rochæ Autoris Galli
labore refellitur, qui deprehendit, aquam fri-
gidam demum calefieri. vid. ejus Scrut. therm.

§. IX. Majorem paulo speciem præ se fert ex
Chymicorum schola desumpta sententia, qua
calorem ex effervescentia acidi & alcali calcis
vivæ, vel similis materiæ & aquæ invicem coë-
untis esse asseritur, hinc præsupponunt in terra
latentem calcem, quam aqua frigida accedeat
accedit &c. Verum enimvero minime re-
spondet opinioni calculus; quare hæc ex Ora-
culo Apollinis Pythii tibi edita haud putas. Un-
de tanta spirituum copia & unde æqualis sem-
per & immediatus illorum concursus ad exci-
tandum

tandum uniformem caloris gradum & per tot annorum secula durabilem? Cur non etiam saltuum semper superest? Et licet existant montes, quibus copiosi lapides calcarei insunt, ignem tamen præexistentem & extinctum, sibi finge-re necesse est. Accedit & hoc, quod si aquæ hæ ex lapidibus calcareis ustis calorem acqui-rerent, isti quoque disrupterentur magno im-petu, ut calx viva assolet; atque ita necessario integri montes & spatia terrarum brevi corru-rent, semelque facta exustione nullum plane amplius ignem conciperent, quod vero cum diu-nitate thermarum pugnat.

§. X. Ecquis non videt, omnes hos atque alios de calida hac materia frigide nimis sensisse atque scripsisse? Si itaque negotium hoc, sic ut par est, momentis ponderamus, res ita con-fici potest, ut statuamus: Calorem (qui ignis diffusus est) thermarum ab ipso calore & igne subterraneo esse, (quæ quidem hypothesis an-tiquissima est, verum multi minus recte eam in-telligunt, minus recte explicant atque appli-cant) non equidem semper igne luculento pa-bulo indigente, cum licet in fodinis venæ me-tallicæ calidæ inveniantur, nullus tamen ejus-modi ignis videatur, sed qualis ille sit, ex se-quentibus patebit, quare ad rem: Scilicet præ-suppono iterum iterumque ignem subterrane-um. Quod vero calor & ignis in terræ visce-ribus evenire possit, docent montes ignivomi, campi flagrantes, motus immanes, tonitrua sub-terranea,

terranea, horrenda flammarum fulgura, corruc-
tiones igneæ, incendia &c. Ejusmodi loca,
ubi ignes subterranei exarserunt, aut ardent,
non solummodo adusta videntur, sed & testa-
ceæ terræ exustæ & calcinatæ effodiuntur. Ter-
ræ quoque ejusmodi locis & circumjectis cali-
dæ observantur, nam v. g. constat, quod Carls-
badii in Bohemia, ubi nimirum thermæ calidissi-
mæ facile omnium reperiuntur, propter calo-
rem subterraneum non possint fodi cellæ, &
quod nix tempore hyemali mox diffuat, vel
saltēm non diu persistat. Præterea & calorem
subterraneum in variis fodinis & locis subter-
raneis experimur, ut non procul ab oppido
Schwarzenberga, aliisque in locis in Misnia no-
stra ; in Bohemia circa pagum Altsattel ; in
Hungaria, quæ pene tota præsertim inferior ar-
det subterraneo igne, nam si prope Danubium
& Dravum scrobes effodiuntur, balnea & sudato-
ria ex tempore quasi possunt parari. Confer.
Conringius in Theatr. rer. publ. Ex Beguino,
Edm. Broun, J. B. Morino, de aliis passim re-
gionibus ex Galeno, Agricola, Bottono, Sole-
nandro, Lohneisio &c. idem scimus. Imprimis
hoc nomine memorabiles sunt cellæ, sudatoriæ
dictæ D. Germani prope Anianum lacum.

S. XI. Physica docet : Varia esse ignis gene-
ra, aliumque esse lucidum, & non calidum, v.
g. qui in vermiculis S. Joh. guttulis aquæ ma-
rinæ collisis, ligno putrido &c. conspicitur, ali-
um calidum & non lucidum e. g. in fœno ma-
dido,

dido, fimo, frumento aqua macerato & in acer-
vum collocato , in corio per alutarios tra-
ctato, in fermentationibus quibusdam &c. alium
calidum & lucidum simul. Docet eadem, (1)
ignem nihil aliud esse, quam motum tertii ele-
menti ætherei particularum in corporibus so-
lum mixtis sulphureis, salinis, resinosis & celer-
rimum quidem a centro accensorum ad peri-
pheriam, adeoque aërem cum Rege Alphonso
in Clave Sapientiæ ignem crassum dicere con-
venire. Ubicunque enim flamma vel calefa-
ctio solum est; ibi semper motus videtur & ta-
ctu sentitur ; quo motu omnia corpora pene-
trat; impedito vero statim ignis extinguitur.
Undeflammam tantum concipiunt & conser-
vant sulphurea , i. e. quibus sulphur minus di-
spersum & occultatum est, resinæ, bitumen, o-
lea, pinguedines & similia. Ad hæc omnia ,
quæcunque motum ejusmodi ætheris in corpori-
bus sulphureis excitare & continuare sufficiunt,
causam ignis constituunt : Quoque liberior &
citatior aëris motus est; eoque commodior ad
ignem accendendum & propagandum. (2) Cor-
poribus pinguibus sal associatum pabulum ignis
efficacius & durabilius constituere; oleum enim,
cui sal inspersum, duplo diutius flammam alit.
(3) Non quælibet corpora, sed duriora vehe-
menter attrita & collisa scintillas effundere.
Horum enim stamina propter duritatem & rigi-
ditatem attritioni non facile cedunt, sed potius
resistunt, resistendo vero eo magis contremi-
scunt,

scunt, quo ipso simul æther inclusus fortiter colliditur, & in motum ejusmodi pernicissimum redigitur. Neque omnis motus localis calorem atque ignem excitat, sed vehementissimus tantum atque varius, neque scintillulæ collisione e corporibus exilientes ab illo motu producuntur, sed latentes saltem educuntur atque eliciuntur: (4) Ipsum deinceps ignem semel in corporibus salinis & sulphureis excitatum, in angustiis inclusum, agitatum, collisum novum ignem in corporibus ejusmodi aliis circumstantibus proximis suscitare, a sola tritura, frictione e. g. ligna duriora & metalla incalefcere, vel plane accendi. (5) Ferrum imprimis esse metallum valde sulphureum, adeoque præ omnibus aliis ad ignem concipiendum aptum; quare & in fusione continuo scintillulæ prosiliunt. Idem fit, si limat. martis subtilissime pulverisata flammæ candelæ inspergitur. Inde evenit, ut circuli ferrei igniti angustiores fiant & baculi ferrei crassiores, quam antea erant, cum impetuosus ille ætheris motus in igne stamina illa licet durissima extendat. (6) Motu isto diutius continuato & aucto, flammarum tandem erumpere, ex quo haud obscure colligitur, quod calor & flamma gradu tantum a se differant, ita quidem, ut calor sine flamma, flamma autem sine calore non esse queat. (7) Aquam igni affusam, nisi sit major illius copia, non posse illam restringuere, sed proportionata in quantitate potius vehementiam ignis augere & impedire,

ne citius ignis pereat; quod videmus, quando fabri ferrarii prunas carentes aqua inspergunt, imprimis si copiosiores adfuerint partes sulphureæ, oleosæ, simili modo naphthæ, camphoræ, bitumini &c. aquæ exigua quantitate affusa videntur ardor augeri. In pyrotechnia parant artifices massam, quam materiam alam vocant, ex nitro, antimonio, sulphure pauxillo & carbonibus &c. quæ accensa difficulter aqua extingui potest, potius illa affusa magis incendum augetur, diutiusque durat. Quin etiam legimus, regnante Constant. Imper. R. Callinicum Mathem. ignem invenisse, ne quidem aqua nisi solo aceto extinguibilem.

§. XII. Quid obstat, exinde inferre; Calorem & ignem quoque subterraneum ex mineris sulphureis & martialibus esse? Scilicet mineras, marcasitas ejusmodi sulphur solo odore saltem perceptibile & ferrum (contritæ enim & ustæ ejus particulæ magnetem accedunt) continentes, calidas, ferventes atque fumantes reperiri in illis locis, qui calent, vel ignem condunt, non modo Scriptores testantur; sed & quivis conspiciat, licet. Rem sequens probat experimentum: Si sumitur sulphuris vivi pulverisati, limat. mart. anat. portio, & hæc invicem bene miscentur & affunditur aqua, ut consistentiā multis adipiscatur, massa, paucis elapsis horis in spumam attollitur, ebullit, incalescit, imprimis aëri libero exposita, atque demum manifestam

nifestam flamمام cum fumo sulphureo emittit. Ad hoc videmus, marcasitas & glebas sulphureas, ex quibus vitriolum conficitur, aëri humido pluvioso expositas, brevi tempore astum intensum concipere. Idem fit, quando ex marcasitis sulphureis sulphur fuerit sublimatum, caput mortuum pluvioso aëri expositum est. Ad hoc observamus in illis locis, ubi alumen præparatur, quod mineræ illæ effossæ, in acervos congestæ pluviis humefactæ vehementer incalescant, sumum & non raro luculentam flamمام emitant.

§. XIII. Ex his itaque fontibus rivum quoque nostrum ducere licet. Non equidem satis havet veritati Le Mery, qui casu primum hoc experimentum invenit, dum acido sulphuris aquis soluto terras pererrante & obvias mineras sulphureas, bituminosas, ferreas aggredientiagnem & calorem subterraneum adscribit, quia liscrimen intercedit inter sulphur accensum & integrum, interque ferrum ipsum confectum & errum in vena sua adhuc contentum. Nam otum est, sulphur acidum non nisi igne accen-
um largiri, & ferrum quidem jam confectum spiritibus acidis quidem incalescere, nequaquam vero illud in venis suis adhuc latens. Quamobrem in hac sententia, præeunte Excel-
entissimo D. D. Bergero in Tract. de Therm.
Carol. mihi etiam omnis stat opinio: quod, quando in terræ visceribus aqua imprimis salia spiritu subterraneo acidulo turgida, sicque

principio activo armata scaturiens ad mineras,
 marcasitas, sulphur & ferrum continent & ipsa
 natura sua vaporosas deferatur, harum poros
 ingressa, laxet nexum & compagem sulphuris
 & martis, atque inter se concitet atque impel-
 lat, qua soluta & libera deinceps actione & rea-
 ctione sulphuris in ferrum & motu intestino
 magis magisque collidantur, rarescant, ferveant,
 vapores sulphureos, calidos, copiosos emittant.
 Quibus subinde ab exiguo etiam principio ori-
 undis auctis, in spatio minus libero coercitis &
 inter se mutuo iterum allisis, attritis, magis ad-
 huc hæ exhalationes exardescunt, magisque
 reliquas partes, imprimis quæ supra incumbunt
 minerarum incitant, compellunt, concutiunt
 atque motus hi augentur, (ut fosores metalla-
 ri testantur, quod vapores, qui sine dubio ex
 marcasitis egrediuntur, multoties sponte inflam-
 mentur) compages illarum solvitur ac destrui-
 tur, salinæque spirituosæ eliciuntur, usque tan-
 dem totæ in aquis disfluant, quo demum tantus
 calor & per ingens terræ spatium dissipatus, im-
 mo sæpe flamma exoritur, si justum spatium,
 justoque fortior aëris motus conceditur, ut ex-
 perimur fœnum quoque madidum repositum
 plane in flamمام quandoque abire. Etenim
 ignis semper desinit in verticem mucronatum,
 sicque superna petens rarefacit; terminatur ta-
 men vis ignis paulo infra summitem, alias
 emerget, ut in ardentibus montibus, habet
 que terram & saxa non raro densissima velu-

perculum, quod non penetrat conus ignis jam elut in summo attenuatus nimium ac imbecillis erra graviori & solidiori opprimente; ubi auem, ac si quantulum sit, quoddam spiraculum ascitur sublime, rapit secum multum teneræ abstentiæ, quod in Ætna aliisque ignivomis montibus appareret. Ex his porro infero, quod is effluviis ex mineris exhalantibus aqua relquia præterfluens denuo imprægnetur atque cæsiat, & ignis deinceps semel genitus, cum velocissime moveatur, (hinc in conflagratione ensibiles gyri se mutuo turbantes & interferentes conspicuntur,) pluraque corpora vicinalino-sulphurea secum rapiat & accendat: Ut o magis hæc credam, me movet, præter adiuta, observatio Hauptmanni in descript. Therm. Wolkenstein. p. 220. qua memorat, quod illæ thermæ, quæ non adeo ex profundo caturiunt, tempestate pluviosa existente, magis aleant, & quod circumjecta terra & colles & montes fument, (quod & alias aliis quoque in locis experimur) & calefiant.

§. XIV. Idcirco in plurimis thermis sulphuruxta vitriolum & martem manifeste reperitur; Campi Vulcani dicti in Italia, Puteolos inter & Neapolim, intus & extra assiduo fervore crepitant & vivo sulphure fumant, intercorruscant quæ salientes & fervidæ, additque Solenander, le Cal. font. med. caus. c. 9. quod quidquid in ore Vulcani in crateribus adhæret, si multa il-

Iud solvatur aqua, eandem sulphure, vitriolo & alumine imbuat. Simile videtur, in Volaterano ad montem Cerberum, in cuius balneis sulphur ebullit, & in marginibus lacunæ passim reperitur. De multis aliis aquis, quas imprægnat sulphur, vel volatile, vel crudum, vid. Becher, Phys. subterr. p. 701. Ad hæc Hauptm. de therm. Wolkenst. modo laudatus scribit: Se deprehendisse in illis aquam limpidam, simplicem prima facie ex petra destillantem, igne in sulphuream mutatam. Quæ eleganter certe genesis thermarum nobis ante oculos ponunt non minus, quam sequentia. Nimirum in agro Patavino ad balnea S. Bartholomæi in fonte aliquo, in quem aqua manifeste frigida ingreditur, & paulo postea ex subdito naturali calore fervescit; immo in tota valle aqua, limus, arena, silices ardent. In hunc censum venit purgatorium dictum in Hungaria. Immo quod curiosum, in ipso mari alicubi & mediis ipsius fluctibus visa sunt aliquando incendia. In sinu Bajano & insulis Æoliis, terra & undæ maris alliæ subinde fervent, fumos non raro & ignes emittunt, motus & sonitus edunt insolitos. Materia, quæ circa crateres colligitur, si aqua diluitur, sulphur, alumen & vitriolum largitur, & si pluviae cadunt, puteos, & torrentes iisdem inficiunt. Plinius L. II. c. 107. &c. 106. refert, Thrasimenum lacum arsisse totum, & inter campos Babyloniam flagrasse piscinam. Mare incendium quoque passum esse adducit Liv. L. XXXII.

L. VI. Autor est Strabo vid. Trans. Angl. phil. 26. in Cycladibus ex mari exivisse flamas per dies IV. tantas, ut ipsum ferveret. Hic commemorandus fons saliens, qui conspicitur prope urbem Gratianopolitanam, ejiciens simul cum aqua ignem, & si lingna injiciuntur, comburuntur, ac ille in Palat. Cracov. inflammabilis, aliusque in Anglia talis. Plura vid, apud Plin. l. c. lib. II. c. 106. & 103. Agricol. de nat. quæ effl. ex terra c. 22. &c. Quamobrem in Italia præsertim, ubi sulphurea corpora ardent in terra, copiosæ thermæ inveniuntur. Siquidem L. Gryllus scribit in Orat. de peregr. Med. quod in agro Senensi supra XV. scaturigines hinc inde habeantur. Quid multa? Clarissime hoc declarat Rocha p. 5. in Scrut. therm. hic enim effodiendo usque ad thermarum pervenit principium, ubi deprehendit scaturientem ex terra aquam frigidam gustui insipidam, imbibentem deinceps sal quoddam minerale, quæ aqua postmodum, ubi attigerit marcasitam sulphuream, mox intensam ebullitionem, spumam ac intensem æstum concepit.

§. XV. Prout igitur major aut minor sit terrens motus, & prout calor conceptus longius ab ipsis venis, canalibus, fontibus distat, aut materiae sulphureæ, martialis, vaporosæ major aut minor copia adest, quo magis fervet, vel sensim tardeque, vel repente & subito agitantur, partes minus aptæ ad talem æstum concipientur magis minusque commiscentur; quo ma-

jori in copia exspirationes aquas replent, thermæ intensius aut remissius quoque calent, unde in eodem sâpe tractu, ut in thermis Carolinis, variæ reperiuntur hinc inde scaturigines, circa illum primarium & furentem dictum, calore a se invicem differentes. Manifestum id in Siculis balneis conspicitur, uti testes oculati referunt: quæ venæ aquarum emanant proprius Ætnam versus calidiores, quo remotius, tepidæ sunt. Quin etiam notum est, in nonnullis thermis ignem adeo esse vicinum scaturigini, si agantur cuniculi, ut una cum aquis flammæ erumpant. In præsens dicendum est, quod quo calidiores thermæ, eo copiosiorem & firmiorem secum vehant atque deponant ochram; quo tepidiores, eo pauciorem. Exempli loco sint thermæ Carolinæ, quæ intensissime calent, magnam copiam ochræ deponunt non tantum in canalibus, quos percurrunt, sed & res alias circumpositas illa afflant atque afficiunt. Nostræ vero tepidæ & que ac Teplizenes, Wolkensteinenses, Landeccenses, S. Johannis in Bohemia &c. minorem quantitatem secum vehunt, minusque exhalant. Undenam ochra in omnibus thermis reperibilis? Illam esse marcasitæ illius sobolem sub ipsa actione & reactione erosæ, solutæ atque paulatim diffluentis, (cum marcasitæ alias solutæ similis sit) merito reputandum est, ut ex modo dictis appareat. Idcirco & omnes bene calcinatæ & magnete tractatae partes redundat martiales.

§. XVI. Pari ratione se habent incendia montium & agrorum, terræ motus, quæ nostram hanc hypothesin probant, stabiliunt, confirmant; nam hi montes & agri plurima ex parte ex pyrite constant, & imbris accenduntur augenturque incendia: sic verb. gr. in provincia Romandiola ex terra infernali dicta, pluviosa tempestate existente, flamma luculenta erumpit, atque Ætna, vento meridionali humido flante, multos ignes evomit, nullos vero septentrionali exsiccante; vid. Boccone in annotat. curiosis VI. p. 126. sq. In tractibus enim subterraneis spatiose, ubi major & liberior aër conceditur, luculenta flamma tandem excitatur, unde halitus vagantes & conclusi, terræ superficiem quatunt, usque dum per fissuras terræ sæpe magno cum strepitu, flamma & fumo erumpant. Hinc circa hos montes magna in copia reperiuntur marcasitæ exusta, in pulverem facile, si cultro scinduntur, aut malleo ceduntur, ad instar antimonii resolubiles, conf. idem Boccone l. c. p. 248. quarum pulvis ferreas juxta alias partes concedit, emittunt & sulphur, alum, vitriolum aliaque mineralia sub ipsis incendiis, atque fontes dulces circa illa loca, sulphureo sapore, durantibus terræ motibus & ante aut post illos, imbuuntur. Nec est, cur dubites de sufficienti aëre, immo ventis in cryptis subterraneis, qui follium vicem obtinent, movent ac excitant somitem. Si enim nihil usquam vacuum, si datur transitus aquarum, facilius & dabitur spa-

tium aëri & ventis, qui adhuc magis penetrare possunt. Hi potissimum oriuntur ex lapsu & appulso aquarum, per canales prius ex mari (cujus fluctus interdum per aliquot millaria agitantur, antequam repereussionem, ut regrediantur, offendant) vel fluminibus suscepto & dein per illos continuato, (aërem enim nihil aliud esse quam aquam subtilem, constat ex Torricelliano instrumento & Æolipilæ experimen-
 to.) Quo major ventus, majorem ignem & flammam concitat, quo minor, (ut fere in tota Germania accidit) ab impellantis præsentis maris defectu, maris sc. variis quoque salibus sulphuribusque prægnantis pabulum simul quoque apportantis remoti, cum flumina tantam vim non habeant, æstus maximus quidem excitat, sed ignis quasi conclusus manet, qui tamen per tellurem calidissimas exhalationes circumspargit. Quod vero mare ad ejusmodi montes ignivomos perveniat, Dominicus Bottonus in Topograph. Pyrologiæ declaravit, referens Vesuvium non raro pisces, faburramque, arenam &c. maris ejecisse. Ac modo citatus Boccone l. c. IX. p. 242. refert, ex ejusdem mon-
 tis cacumine quandoque ingentes aquarum elu-
 vies defluxisse exsiccato prope urbem Neapo-
 litanam portu. Compertum præterea est ex Strabone, Mela, Plinio, cavernas subterraneas spatiostissimas reperiri. Videntur & multæ in Italia, Sicilia, Hispania &c. ex quibus ingenti & horrendo strepitu venti efflant, ut nemo sine peri-

periculo accedere ausus sit. Pater & hoc ex terræ motibus, hiatibus & voraginibus, & tot urbium ruinis, si enim nullæ ejusmodi escent spatijsæ cavernæ, tam vasta terrarum spatia in se recipere non posset terra ; ea propter non adeo infelici conjectura ductus Aristoteles causam explicans, cur repente interdum navigia in mare absorbeantur, ita scribit : Cavernosus locus terræ subditæ mari quandoque disrumpitur, diductoque hiatu absorbetur navigium. Amplius adhuc constat, sub mari spiracula esse ventorum, ut in littore Aquitanico non procul a Bajona, ubi mare sine ullis ventis extrinsecus adeo turgescit, ut terram mox occupare videatur, moxque iterum subsidet. Plura exempla recessuum vastorum sub mari recenset Baccius. Indicant illos varia incendiorum antecedentium signa & effectus ; præcedunt enim subterranei rugitus, horrendi terræ motus, fulgura, tonitrua subterranea sequuntur, terra in hiatus sæpe magnos secedit, rumpitur, ingentes glebarum faxorumque moles projiciuntur &c. Ad hæc quemadmodum ex motu aquarum ventus sub terra exoritur, ita & augetur ipso deinceps igne, ubi enim ignis, ibi etiam ventus statim se prodit. Notabile insuper est, maritima loca ab æstu maris tepeſcere.

§. XVII. Omnium vero conceptu difficultatum videtur, quod per tot secula continuus calor in thermis permanere potuerit, & quod dictæ

dictæ mineræ non absumentur. Sciendum autem est, quod ingentia dentur in terra mineralium fossilium strata, unde & ordinario circa istam regionem plures thermæ, acidulæ &c. conspiciuntur, sic circa thermas Carol. V. mill. spatio ultra CCC. acidulas numerantur, circa Halam Sax. item per aliquot milliaria, & in Bavaria in regione VI. mill. hinc inde multi fontes salini reperiuntur. In nostrarum *Therma-rum* vicinia quoque circa pagos Hermsdorff, Voytsdorff & Gottsdorff diversi tepentes, lacus inveniuntur. Ex his fodinis licet quotidie notabilis quantitas evahatur, tamen vix exauriri possunt, & si in ipsa origine non tanta strata essent, nihilominus tamen illa aqua in transitu per longum interdum iter aliis in locis ejusmodi strata attingere non impossibile videtur, quas mineras iterum contactu suo in similem motum concitat. Ibi eoque magis calor perdurat, quod si halitus tantum exinde spargantur. Pyrites & imprimis alias præ omnibus aliis mineralis durabilem somitem huic igni præbere valent, quod Lysterus in obs. de nat. & orig. terræ mot. & fulm. confirmat, quod carbones fossiles, tanto plus igni resistant, quo plus pyritæ in se habent. Quis nescit ignem occlusum, tenetum & compressum, ac subterraneus est, diu durare multumque calefacere, & minus corpora sulphurea &c. tam cito destruere atque exure-re. Cui simile arridet, consideret modo vulgarem illam carbonum ligni confectionem, ubi ignis

ignis occlusus & non tam amplum spatum habens se explicandi & ob aëris, motoris sc. actuantis suffocationem, refrenationem (qui etiam in cellis & cryptis subterraneis ejusmodi occlusis, licet sat spatiose, ob crassum aërem candalam accensam cito extingui reperimus) diutius continetur, & subjecta ligna per longum saecum temporis spatum ab ipso uruntur, minime vero destruuntur, sed deinceps carbones integrum & pristinam lignorum magnitudinem æquantes eruuntur. Simile exemplum videmus in igne dia interdum sub cineribus latente & in incendiis ædificiorum, ubi per plures septimanas in ruinis ignis tectus servatur. Idem videmus in caminis, repletis carbonibus, ubi subdito per inferiora igne & clauditur, diffundit se calor per totum acervum carbonum ac intra aliquot septimanas sine multa eorum consumtione durat & indies fit intensior. Pariter in furnis, in quibus orichalcum paratur, si orifia claudantur, ignis sine carbonum natabili consumtione diu vivere potest. Sic in machina Papiniana firmissime occlusa, adeo, ut vapores aëris & aquæ non possint exire, paucissimis carbonibus diu ignis servari & carnes coqui possunt. Tandem & ipsa concreta resinosa atque oleosa, terebinthinata, mastiche, succinum, spiritus, vini quamvis sub aëre libero ab igne exiliori statim exardescant & tota absumentur: in vase tamen clauso ab intensiori licet igne lente & in vapores solummodo facessunt. Simul & perspicere

ex supra adductis jam licet, aquam ignem etiam
 diu conservare, ut in vulgus quoque notum est,
 aquam frigidam ignitis silicibus affusam majo-
 rem fervorem in balneis excitare. Addo quod
 Dioscorides lib. 6. de lapide Thracio refert,
 eum aquæ aspersione accendi, idem Ælianus
 de animal. lib. 9. testatur. In vertice Chimeræ
 montis, ut Thefias Cnidius tradit in Phaselide,
 ignis atque limus ex stagno Comagenæ aqua
 quoque accenditur. Altissimi Norvegiæ, Sue-
 ciæ atque Islandiæ montes nive superne conte-
 sti, inferne sulphuream eructant flammarum. Le-
 gatur Olai Magni opus de gentibus septentr.
 Cap. 10. & 11. Nisi conjectura aberro, alumnen
 pyritis coniunctum symbolum suum conferre
 posse, cum Ammiano existimo. Autor est Pli-
 nius ligna & tabulata alumine illita non arde-
 scere. Legimus, Syllam turrem quandam li-
 gneam alumine jussu Archillai, Regis Mithri-
 datis præfecti, oblitam exurere non potuisse.
 Sunt, qui ex sulphure & alumine inter se certa
 enchiresi commixto æternum ignem parare
 posse gloriantur. Illud quidem necesse est, fa-
 teamur, ex parte illas mineras minui, & spati-
 um, ubi continentur, excavari & possibile esse,
 thermas deficere olim; ita multa balnea, fontes
 soterii, acidulæ, thermæ, quæ olim fluxerunt in
 Germania, Italia, alibique, necdum fluunt; aut
 à pristinis viribus & effectibus longe recedunt,
 aut penitus exsolvuntur, ut quoque scimus,
 thermarum subinde calorem minui aut loco il-
 larum

larum frigidos fontes scaturire & vice versa.
 Nam possunt marcasitarum venæ calorem, quem
 antea non habuerunt, concipere, possunt quo-
 que defervescere, deficere, obrui, præcludi,
 alioque diverti aquæ profluente. In nostro
 modo Ducatu Jauroviensi in pago Gieren aci-
 dulæ quondam fluxerunt maxime salutiferæ,
 quæ tamen hodie ab antiquo valore ac vi longe
 sunt mutatae. Neque abs non est, mineras
 varias, metalla &c. iterum in fodiis exhaustis
 succrescere, quod multi fide digni Autores ac
 rerum metallicarum scriptores auctoritate & ex-
 perientia sua confirmant ac stabiliunt Barba de
 re metall. lib. I. c. XVIII. Jordanus de balneis
 nat. C. II. Matthes. in Sarrept. Conc. III. Petr.
 Albinus in der Meisnischen Berg-Chronica tit.
XVI. §. 7. Gerhardus Decad. quæst. physic.
 chym. I. Borrichius in Epistol. ad Barthol. cent.
 4. ep. 92. Agricola lib. XII. p. 455. sq. Ercker
 lib. V. p. 315. Visæ sunt stanni venæ, quæ dum
 eas infra suffodiebant, superne iterum recresce-
 bant, quod jam olim de maris Hetrusci Insula
 Isva Virgilius cecinit. Sulphur & bitumen sem-
 per post decursum quatuor annorum regenera-
 ri, adducit Fallopius L. de aquis thermal. &
 metall. c. 5. Idem de bitumine in agro Muti-
 nensi Italicæ memorant historiæ. Sal fossile in
 valle Deni intra V. vel VI. annos iterum renasci,
 ut & sal fossile Polonicum, vulgo fertur. Plu-
 ribus hæc illustrat Kircherus in **M. Subterr.** L.
IV. S. I. p. 168. Conf. & Camer. M. N. M. c. 10.

p. 207. Comparet exinde, quod Natura etiam hoc in passu perennem instituat circulum, ut ad aliarum rerum propagationem & quod manifesta sint etiam in metallis aliisque fossilibus vegetationis indicia, cuius non in postremis & illud est, quod in Femora maris Balthici Insula habetur, ubi reperiuntur loca, ex quorum solo ingens lapidum copia prominet, qui quotidie succrescunt. Certum cœterum est, ad incendia subterranea quoque materiam unctuosam suppeditare mare, crassas, salinas, unctuosas partes vehens, (partim in illo genitas, partim a fluminibus e terrestribus mineris adportatas) ut reputat Baccius l. c. p. 188. vid. Bech. Phys. subt. L. I. S. II. c. 2. Per instrumenta enim compertum habemus, aquam marinam fundo propinquam bituminosam esse, succinum, ambra & similia forte idem monstrant.

§. XVIII. Perinde non habeo ambiguum, propemodum id se habere cum acidulis, atque omni asseveratione affirmo: acidulas fieri, quando marcasitæ paulatim magis aqua forte minori copia accedente & motu partium sulphurearum, martialium fervescunt, vaporant, ut sulphureæ successive abeant, quibus exutis, emergentibus copiosioribus halitibus acidulis salinæ magis magisque exacuuntur, partes martiales, immo totæ quantæ, marcasitæque solvuntur, ac in vitriolum (non æque maturum, nam hoc demum in aëre liberiori germinando lanuginis instar quasi efflorescit) & in ochram rediguntur.

Quæ

Quæ deinceps partes mediante aqua aliorum deponuntur atque colliguntur, ubi moram ne-
ctunt, vel longo itinere defluunt, vel interfluen-
te majori in quantitate aquæ defervescentis va-
poribus sulphureis adhuc iterum plurima ex
parte dimissis, relictis solis ut plurimum parti-
culis sulphureis fixioribus & denuo concretis
(hinc in lagenarum fundo acidularum sulphu-
reæ particulæ conspicuntur) usque dum ex ter-
ra frigefactæ scaturiant acidulæ. Hæcque li-
quido constant; fodinæ enim, ex quibus effo-
ditur vitriolum, calidæ sunt, quod rerum me-
tallicarum Scriptores testantur, v. g. Lohnei-
sius &c. Imprimis hanc in rem præclare scribit
Galenus L. IX. simpl. med. qui locus certe, rem
exacte declarat. Notum quoque est, marcasita
abire in vitriolum plus minus, & sulphure
evaporato ex illis majorem vitrioli partem re-
cipere, quod deinceps ex aëre humido quasi
progerminat atque frondescit; hinc usta mar-
casita flammam emittit, sulphuris odorem spar-
gentem, ustum vero necflammam emittit nec
sulphur redolet. Id ipsum monstrat conficien-
di ars vitriolum, quando ex marcasitis vitriolum
excoquunt. Affero pariter, huic principio
marcasitis nimirum ut calorem subterraneum
atque thermarum, ita & alias quoque aquas fri-
gidas salubres & subtilis vitrioli quas continent
plurimæ partes nec non salium acceptas feren-
das esse.

C A P U T III.

Naturam & Contenta Thermarum
Hirschbergenium examinat, rationem-
que operandi expendit.

§. I.

Maxima thermarum vis a mineris, illarumque diversarum partium intima atque varia solutione & mixtione est, quoque magis intimusque mixtæ sunt atque unitæ, eo quoque meliores jure censentur. Unde Vitruvius lib. VIII. c. 3. rectissime auguratus est dicens: Omnis aqua naturaliter calida ideo est medicamentosa, quod in præviis rebus percocta aliam virtutem recepit ad usum. Ut ergo illæ nostrarum thermarum nobis patefiant necesse est, ut exactum instituamus examen, & in ejus contenta & quæ præ aliis prævaleant copia, inquiramus, ex quibus ex parte concludere possumus, quid conferant aut noceant. Qod vero quam difficile, quam arduum & quam incertum de eo sit judicium, exercitatissimi etiam Philosophi ac Medici agnoscunt atque fatentur. Quædam enim aspectum oculorum aufugiunt, & varia varie & intime inter se permixta atque soluta difficulter dignoscuntur atque aliorum similitudine nos facile decipere possunt, quavis etiam via aut modo trastentur, quovis etiam microscopio inspiciantur. Apprime hinc Hippocrates l. de vet. med. §. 3. dicit : Si quis de sub-

sublimibus in aëre rebus, aut de subterraneis dicat & quomodo sese habeant, sciat tamen, neque dicenti neque audientibus manifestum sat is fuerit vera ne sint, an secus. Antiqui Philosophi Peripathetici in explorandis aquarum medicatarum contentis, iisque signis multum tribuebant, quæ tactus, odor, sapor, color concedunt. Cum vero illa insufficientia plane deprehendantur; siquidem varia sunt, quæ hoc vel illo colore aquas tingunt, sunt quoque varia, quæ linguam v. g. accredine, adstrictione &c. afficiunt, nostro maxime seculo di miles in concretis substantias adminiculis chymicis ervere satagunt, & varias præcipitationes, solutiones, filtrationes, evaporationes, destillationes, aliorum effusiones, combinationes ac coagulationes instituunt. Evidem præ omnibus aliis Chymia ad intricatos naturæ labyrinthos filum Ariadnæum concedit, & naturam imitari in operibus suis videtur. Hac potiori potimur analyticæ, quæ corpora naturalia dissolvit, componitque, & indolem & principia sua detegit, non æque physica simplicia, extrema, sed chymica, i. e. in quibus chymia in resolutione corporum acquiescere cogimur. At enim vero; ingenuæ etiam confiteri necesse habemus: insufficientes & incertas esse operationes chymicas, quævis etiam sint, ad omnium omnino corporum naturam exhauriendam, declarandam, demonstrandam. Ignem enim Chymicorum quidem cultrum anatomicum dici posse, sed

non verum esse & genuinum corporum mixtorum analystam jam dudum Philosophi agnoverunt. Demonstrant id optime omnium Illustr. Boyle in chym. Scept. Dissert. chym. & Cl. Bohnius Dissert. phys. I. p. 17. & sq. Quare dubitandum est, an ex illis semper constent corpora naturalia, in quæ per ignem fuerint soluta, dum equidem compagem & texturam corporum is dividit & resolvit, sed inter divendum simul quoque partes eorum ratione figuræ, texturæ, situs & magnitudinis naturalis, miris modis rapidissime immutat, alterat & suo motu, (motus enim est causa efficiens omnium formarum ac qualitatum) novum ipsis situm, ordinem ac nexus inducit. Quare ignis ab Helmontio creatura destruens, & mors artificalis corporum ea destruens, vocatur. Unde alia diversa plane, aliæ prorsus vires, aliæ qualitates proveniunt. Immo imprimis subtiliores & mobiliores (ut nihil jam de fixioribus magis dicam, cum constet praeter particulas sulphureas, subtileas, aqueas, salinas & terras quoque per ignem dissipari) prorsus destruit & in auras dissipat, adeo ut tenuissimæ partes quorumvis commissuras vasorum & licet hermetice sigillatorum, adhibito quamvis leni ignis sæpe gradu, aufugiant per poros vasorum non prehendendos. Enimvero ejusmodi minima certe dantur, quæ sensus plane non incurront, si tamen inter se coëunt atque cohærent, corpora satis magna componuntur, a quibus dein ceps

ceps iterum exhalant, quod ex variis experimentis constat. Quare, ut incidenter moneam, illi utilitati minus consulunt, qui fontes soterios & acidulas non bene obturatis lagenis iisque arctioris orificii calefaciunt. Tantum enim abest ut juvent, potius observavit Th. Tabernem in hydrogaz. p. 177. acidulas Sualbacenses calefactas obfuisse. Nova se objicit dubitatio: Separatae sic partes si iterum commiscentur, nulla arte tamen possunt ita combinari, ut prius composita omni modo emergant. Anne cum aliis commixtio ac magis adhuc præcipitatio tutior, certiorque? Dubito, suspicor, sive pori a tertii interventu constringantur, sive laxentur, sive impleantur magis, quod concreta alterationes secundum situm atque figuram patientur; novam subinde reactionem efficere enixaque inde oriri possint. Probandi ratio aliqualis non erit difficilis, mercurii vivi & sublimati in aqua vel aqua forti solutio si cum ol. tart. p. d. præcipitur, rubicundum pulverem, si cum calce viva flavum, si cum sp. sal. ammon. album præcipitat, quæ tamen omnia sunt alcalia &c. Taceo, ex plane diversis eosdem effectus prodire, quod colligitur ex liquore, qui e calce, vel cum sale communi vel ammoniaco fusa extrahitur, solutio per aquam per filtrum trajicitur, exhalatur leni igne, sal remanens in cella dissolvitur, hic liquor tam ab ol. tart. p. d. quam Sp. vitrioli coagulatur. E contrario cernimus, diversa & contraria sœpius eundem edere effectum, quod

in alcalibus quibusdam lac coagulantibus experimur &c. Non prolixius quoque attingam, quod pro vario ignis modo adhibito, v. g. in aëre aperto vel vase clauso, vel coctione, calcinatione &c. longe diversa eliciat ignis, v. g. ex vegetabilibus per coctionem educuntur salsa, nitrosa & tartarea, per destillationem simpli-
cem acida, per incinerationem lixiviosa &c. Similia exempla habemus in camphora, succino, sulphure & aliis, idem de aliis probationibus v.
gr. per putrefactionem &c. sentiendum. Neque
id attingam, quod quædam concretorum ingre-
dientia inter se confusa ægerime adeo exacte
separari possint, ut cuiuslibet eorum exquisitum
pondus determinari valeat.

§. II. Quibus ita positis, (ut ad propositum
redeam) examen horum ope institutum aquarum thermalium esse ejusmodi, quilibet sentit. Hinc non mirandum, quod ejusmodi probatio-
nes thermarum & fontium soteriorum a multis
laboriose magis, quam utiliter institutæ fuerint,
& quod multæ in lucem prodierint descriptio-
nes thermarum, aliarumque aquarum salubri-
um, quæ minus rem accurate exhausti, mul-
ta illis adscribendo, quæ minime iis insunt, aut
illa, quæ insunt, omittendo. Quod si autem
itaque res ita se habet, quod a priori non sem-
per valeat bona consequentia, i. e. quod non
sufficiat, thermas ratione contentorum saltem
indagasse, altera a posteriori, experientia sc.
eaque multis exemplis stabilita, in auxilium

vocanda. Qui ambo conjungit, certius atque securius procedet. e. gr. Mercurii currentis vis vehementer salivam movendi, & nitri refrigerans & antispasmodica, arsenici deleteria, rhabarbari purgans, seminis hyoscyami narcotica, cantharidum diuretica & aliorum multorum medicamentorum non a priori sed a posteriori innotescit. Etenim hac duntaxat plurima ex parte, si vera fateri volumus, thermæ, quæ celebritatem hodie acquisiverunt, sunt inventæ ampliatæ atque stabilitæ. Licet itaque, inquam virtutes aquarum mineralium experientia magis quam rationibus dignosci possint, ob mirandam scil. mineralium varietatem diversissimamque illorum modificationem & mixturam, nihil tamen impedit, quin per diversa examina contenta in illis quodammodo patefacere possumus. Faciam itaque id circa nostras & thermas brevissima ac facillima via, quantum potero, & quantum mihi concessum est, quantumque res & scopus ferunt atque permittunt.

§. III. Prosequar stricè. Si lapilli in fontes utrosque immittuntur, per curvatas lineas & præpediti quasi deorsum delabuntur. Aquæ thermales si ex fontibus suis hauriuntur, in iis copiosissimæ bullulæ e fundo vitri ad superficiem tendentes & lateribus adhærentes margaritarum instar conspiciuntur. Calidæ haustæ & frigefactæ lib. I. gr. V. & ultra ex cœnobii, ex Comitis fonte gr. VIII. quantitas decrescit. In-

strumenti statici ope calentes & juxta scaturiginem paulo leviores etiam aqua fontana, graviores vero frigefactæ deprehenduntur. Nam notum est aquas spiritu copioso gaudentes leviores esse, quoniam aër & æther ut omnis rarefactionis ita & levitatis causa existit. Hæc sola aquarum levitas, quæ præsertim etiam in aqua pluviali reperitur, indicium aquarum salubrium haud infirmum est; nam talis aqua subtilis levis atque spirituosa facile & citius per excellissima vasa ac porulos transit pota, aperit subtilissimos ac tenerrimos etiam ductus, qui in quamplurimis morbis sunt obstructi, & fundamentum illorum constituant, quare illud sine studio & odio necesse est fateamur, quod thermæ nostræ ob partes spirituosas copiosiores, temperiem & eximias plane virtutes si non omnibus aliis in Germania anteferendæ, postponendæ tamen sint nullis. Ad tactum sunt viscidæ, lubricæ, molles & temperato & non modo tolerabili, sed & tam jucundo calore, adeoque calori nativo humano maxime conveniente præditæ, ut optimo jure id de nostris dicere possim, quod G. Wernherus de therm. Budens. dicit, quod tam jucundo sint calore, ut velut humano studio temperatæ naturæ singulari benignitate ad hominum lavacra datæ esse videantur. Admoto thermometro uterque fons eundem caloris gradum seruat. Præter odorem sulphureum & lixiviosum saporem subdulcem primo subadstrictorium & in fine sub-

subacrem, lixiviosum & ex parte subamarum
ac nausEOFUM in lingua ac faucibus relinquunt,
quo plus autem fervent, eo gratiorem habent.
Odorem exacte lixiviosum, sulphureum & sa-
ponarium referunt, & adhuc magis fragrantio-
rem, si inferius exhausta prius scrobe de novo
iterum scaturiunt. Ab injectis in aquam, quæ
in hoc procedendi genere adhibere solent, nul-
lam alterationem notabilem deprehendes, nisi
in residuo demum a destillatione & evapora-
tione relieto. Si per unam aut alteram diem
in vase quodam reponatur, variegatæ, crassæ par-
tes sat copiosæ subsident. In coctione ipsa,
evaporatione, destillatione in vitro vase ar-
ctissime lutato ac clauso nihil recipitur, præter
corpus terreo-salinum, quam aqua insipida fon-
tanæ similis. Neque tunc ullus odor sulphu-
reus percipitur, sed saltem lixiviosus & fœtidus
nares ferit, nisi quod alembicum suspensum ad
orificium retortæ denigrat, (haud obscuro sul-
phuris àvolantis indicio.) Inter destillandum
nihil notatu dignum apparet, donec ad paucas
libras aquæ quantitas abierit, tunc magis ma-
gisque colorem puniceum, imprimis ex Schaf-
gotschiano fonte induit. Quod si imprimis in
vase colli angustioris & fundi amplioris destil-
lantur, lateribus sal volatile hinc inde maxime
ex eodem fonte sub forma crystallorum mini-
marum adhæret. Superficiei crusta salina in-
nata, odor & sapor tunc quoque magis ma-
gisque lixiviosus redditur, sali tartari similis,

nisi quod magis nauseosus mihi quidem videatur, & spiritu acido instillato effervescentia sentitur, deponiturque sedimentum crassum & puniceum, liquore supernatante pellucidiori statim facto. Aliquando aqua ad paucas libras destillata, similique modo adhibita & reposita, deinceps post aliquot dies multæ crystalli majores & minores pellucidæ, præter propter magnitudine grani hordei ejusdem fere figuræ & badio colore apparebant. Si diutius in vase detinentur, reponuntur, aut longius vehuntur, nunquam præcipitatum quodam deprehendi potuit. Corpus terreo-salinum, quod ab evaporatione & destillatione in vase remanet, colorem refert ex albo puniceum in superficie inæquali magis cum bullulis quasi disruptis, albicantibus, nitentibusque. Linguæ saporem hoc imprimit lixiviosum, subadstringentem & nauseabundum atque odorem lixiviosum itidem & graveolentem & aliquantum sulphureum spargit. Si diutius reponitur aut transfertur in vase vitro, aqua non facile corruptitur aut putreficit.

§. IV. Omnibus tandem adhibitis, quæ ad probationem aquarum afferri possunt; (quæ vero hic ordine ulterius recensere non vacat,) atque remultum diuque pensata in promptu erit notare: Thermas nostras duplice gaudere principio, volatili spirituoso (quod maximum) atque fixo perutili, intimo connubio unito. Spiritus probatur secundum notas spirituum in aquis: Ejusmodi enim aquæ spirituose sunt

tenues, lenes, bullulas habent multas, celeriter
 transeunt per alvum & urinam, vel sudorem,
 non adeo copiosa residua relinquunt evaporata
 cum ebullitione notabili ex fonte profiliunt,
 nares blanda titillatione feriunt, & caput non
 raro nidore totum implent, in antliæ vacuo bul-
 lulas copiosiores emittunt : Omnes hæ notæ in
 nostris quoque aquis soteriis habentur. Spiritus
 illi aquarum, qui animam quasi earum consti-
 tuunt, sine dubio nihil aliud sunt, quam spiritus
 sulphurei, aciduli, ex incandescente resolutoque
 sulphure & marcasitis martialibus evoluti, sub
 forma vaporis aërem æque ac aquam pervagan-
 tes, in ejus poros insinuantes, ibique concentra-
 ti eam leviorem & validam reddentes. Hi enim
 sunt, qui cineres clavellatos aliaque salia alkalia
 aëri libero exposita in sal nitrosum convertunt,
 & alumem calcinatum omniq[ue] sale exutum in-
 tra aliquot dierum spatiū sale acido de novo
 imprægnant. De reliquo refert du Cloos de
 aquis Galliæ p. 93. se destillatione prima ex spi-
 rituosis aquis spiritum exigua quidem quanti-
 tate obtinuisse, qui aquam Tornæ Solis cœru-
 leam rubedine infecisset. Præter Camerarium
 vid. M. N. & M. Cent. X. p. 211. & Becher phys.
 subt. Sect. II. Cap. 3. p. 73. testatur: aquam non
 raro fontanam non nihil spiritus habere, quia
 omnes fontes calidi quid in se habent atque
 dantur aquæ fontanæ hyeme non congelascen-
 tes, quia ex fontibus fumantes vapores inter-
 dum adscendunt, & si ejusmodi aqua primum
 ex fonte hauritur, ore detenta nonnulli spiri-
 tus

tus nares ferientes emituntur. Mediante hoc principio imprimis subtili, activo, elastico, thermæ, fontes soterii plurimi, (cum multi dentur, quorum aqua in destillatione & evaporatione nullum relinquit sedimentum,) tam admirandos edunt effectus; hinc observatur, quod ejusmodi exorti fontes in principio non raro saltem vegeto & præsenti spiritu maxime se exferant, subsequentibus vero annis, deficiente, debilitato illo vim illam amittant; tales v. g. fuerunt in nostra vicinia, quorum alter anno 1677. Pegaviæ exortus & contra scabiem & paralysin eximius fuit; alter 1684. Hleburgi infra arcem plurius quondam commendabilis profluxit.

§. V. Sicque porro inter partes his aquis contentas volatiles magis juxta modo nominatas eminent vitriolicæ, saline & sulphureæ, nativæ & purissimæ indolis, communi sulphure & empyrevmatico atque vitriolo arteq; omni parato martiali, illorumque spiritibus aliis exinde præparatis longe excellentiores. Inter fixas magis numerantur itidem sal & sulphur, bitumen, alumen, mars, & terra. Namque non precario ista admissa esse ulterius demonstrat sensus, comprobat ratio, confirmat experientia. Etenim quando juxta scaturiginem & statim recens haustæ & calidæ aquæ libram 1. pulverem gallarum, vel foliorum quercus aut ejusmodi aliorum adstringentium scrup. ad drachm. sem. injicis, non equidem satur color niger, sed ex atro

pur-

purpureus, (obscurior tamen magis ex Schaf-
 gotschiano fonte,) exinde emergit, a scaturi-
 gine vel alveo remota & frigefacta aqua nullam
 ejusmodi mutationem, sed solummodo turbati-
 onem percipies. Vitriolum enim volatile in
 omnibus pene thermis invenitur, cum illud or-
 dinario in mineris istis, ex quibus ignis, calo-
 risque subterranei origo reperiatur. Insuper
 non modo ex Lohneisio constat: omnes pyri-
 tas posse in vitriolum plus minusve abire; sed
 & in valle gigantum in ipsis montibus Sudetis
 & in pagis vicinis Schreibersau & Zischdorff, in
 Misnia circa Duben videmus & Schwartzenber-
 gam erutas marcasitas paulatim in vitriolum ef-
 florescere, hinc & ordinario fere thermæ tepi-
 dæ minorem partem vitrioli ejusmodi volatilis;
 calidiores vero majorem possident, siquidem
 in ipsis Carolinis thermis utpote calidissimis sum
 expertus, gallarum pulverem mox ad fontem
 aquæ ferventissimæ injectum colorem nigrum
 magis; minus vero tepefactæ inducere. Quo
 simul hariolari licet, subtilissimum sulphuris va-
 porem arctius sese conjungere cum rudioribus
 quibusdam ferri partibus atque exinde fixum
 quoque sal vitriolicum emergere & thermas in-
 gredi. Sulphureum odorem quivis statim per-
 cipit, & argentum cum primis aquam immisum
 colore fusco tingit, auri vero colorem exaltat,
 linteamina sublutea reddit, quin & interdum
 parietibus ad instar fl. sulphuris adhæret. Præ-
 fertim Schafgotschianus fons plus sulphuris re-
 dolet

dolet atque sensibiliter magis nares ferit, immo pungit efficacissime ; salia enim, quo plus sulphuris eis accedit, magis fiunt volatilia. Si reponitur aqua, aut destillatur, evaporatur, nullum deinde odorem deprehendes sulphureum, pauxillumque illius fixi in residuo remanet inflammabilis, solo odore ex parte perceptibilis, quod tamen eo magis confirmatur, si illud prunis candardibus adspergas, & si misceas cum salis tartari, transit in hepar sulphuris. Oleaginositatis quoque quid subesse clare demonstratur. Sæpius vidi illud, & chartam, in qua residuum corpus terreo-salinum imprimis ex Illustr. Comitis fonte asservabatur, oleaginositate lutea infecisse & digitos unctuositate quasi obduxisse. Substantiam illam sulphuream & oleosam eo melius aqua misceri, cum eam continentur aluminosæ & vitriolicæ, nitrosæ particulae (utpote salinæ, quæ facile cum aqueis connubium ineunt) habetur.

§. VI. Inter partes fixas primas tenent sal fere alcalinum, quod si nitrum illud vocare malles, non refragabor ; ad naturam enim nitri Veterum proxime accedit : Huic nec immerito thermis potior virtus juxta partes volatiliores, spirituosas, adscribitur ; huic soli fere omnium vim adsignare videtur. Clariss. Wedelius Am. M. M. & Pharm. acroam. p. 432. Et sane alcalia sanguini maxime amica & illius naturæ fere affinia ac polychresta sunt. Hujusque salis alcalini aquæ thermalis libræ XX. per lenem eva-

porationem (si destillantur, semper minor quantitas remanet) dant ordinario, ex Schafgotschiano fonte scrup. 1; ex altero drach. semcirciter recipitur, quam quantitatem in utrisque duplo corpus terreum excedit. Hinc etiam in plurimis, si non omnibus sal alcalicum invenitur, uti & longe majori in quantitate in Granensibus, Burboniensibus & Vichiensibus in Gallia, in thermis Carol. Embseſſ. Teplizensiſbus, immo acidulis & fontibus, lacubus, rivis. Hoc prima fronte statim odore in nostris manifestatur, nares enim ferit exacte lixivioso odore, & post evaporationem remanet sal alcalicum ex residuo elutriandum, quod tamen in fine quandoque plus minusve (in primis ex Cœnobii fonte) subamaricat, gustu ipso ordinariis-que experimentis manifestatum. Ex quo quis me non monente intelliget, hoc sal in thermis contentum ex parte esse volatile, ex parte esse fixum. Constat enim, omnia salia fere alcalia fixa, si igne tractentur, quo per motus varios atteruntur, digeruntur, & in moleculas tenuiores rediguntur, aliquid volatilis de se spar gere. Exempli loco saltem sit ipsum lixivium ex cineribus saltem factum, odorem satis fortem reddens. Perinde præter Illustr. Boyle, Tournefort. Lœwenhœck, Grewius & Bohnius annotarunt, dari diversi generis terras argillaceas, ex quibus spiritus & sal vol. urinosum destillando elici valent, quamvis non pure & excessive tale alcalicum sal sit, quia compertum per

rationes atque experimenta est alcalia, volatilia & fixa pura raro dari, ad horum classem saltem ob prævalentiam referri. Alias subtilissimum est, facile & æquali propemodum aquæ portione solvitur & cum pulvere carbonum subtilissimo mixtum in crucibulo totum avolat, sulphureo quodam fumo relicto. Si hoc sal alcalinum in libero aëre asservatur, in sal quasi tertium (quod ordinario iis accidit) mutatur, quæ mutatio spiritu universali aëreo acidulo in acceptum fertur. Hoc sale alcali fœtæ quoque sunt multæ terræ, saltem in nostra Germania ager Rupinensis, Marchiæ, Pragensis in Bohemia. In Misnia & Thuringia multis in locis in cellis efflorescit & ex terra eruitur &c. Ex Smirna aliorsum magna in quantitate effossum adportatur. Bitumen, quod & ordinario fere inventitur, ubique sulphur habetur, non solum odore, acuto nitore, acerbitate, amaritie cognoscitur; sed & ipsis oculis conspicitur, præsertim & ordinario magis in Abbatiae fonte floccorum instar internatans, unde saepius non potantur ejus aquæ, cum tunc nauseam, dolores ventriculi & capitis causentur. Hinc etiam sine dubio est, quod industria balneo exeuntibus firmiter cuti tanquam glutine quodam affixa adhærent, adeo ut vix possint avelli, quare necesse est in ipso adhuc balneo industria exuant, atque quod ipsa cutis glutine quasi & oleaginositate oblinita, & aquosorum ad instar globulorum obsita visu taetique experiatur. Licet ejusmodi primum omnem

omnem cum aquis mixturam respuant, longa tamen mora & mixtione devicta iis confuse uniuntur, uti omnes fontes bituminosi monstrant. Hoc, si hic conjecturæ locus sit, ipse calor ex igne subterraneo eliquat. Mars non solum ex terra post salis elutritionem residua probe calcinata magneti capillamentorum ad instar adhæret, & quandoque grana iij ad iv ex aquæ libris xv. imprimis ex Schafgotschiano fonte, qui illius majorem copiam ordinario possidet, collecta sunt; sed & ex ochra, quam in transitu deponunt thermæ eodem modo extrahitur. Fallunt, itaque admodum, aut fallen-tes nominatum Zwelfferum, Fallopium, Sole-nandrum, Tabernæmontanum &c. incaute se-quuntur statuentes: thermis ferrum aliaque metalla immatura saltem inesse, & qualitates saltem illorum. Paucæ partes aluminis levissimi illius quidem, quamvis non æque exacte forte puri & simplicis remanent, & pauciores ex Schafgotschiano fonte. Testatur hoc odor acidulus fœtidus, gravis, imprimis si ad modicam siccitatem evaporata sit aqua, qui exacte refert illum qui ex alumine & sale ammoniaco in mortario terendo exsurgit & spuma & bullæ quasi nitentes remanentes & sapor aciditatis & adstrictionis, acrimoniae in amarulentiam paululum desinentis, & quod solutionis cochenillæ colorem non mutet, potius exalteat & sedimentum in igne fusum ad instar lactis liquefcat, quodque præcipitatum per oleum tartari

per deliquium igni impositum spongiosum fiat.
 Hoc quoque observatur, ubi pyrites exæstuat,
 ibi & sulphur, vitriolum & alumæ inveniri ac
 fodi, immo pyritæ aliquam aluminis partem
 concedunt, uti annotavit Excell. Bergerus l.c.
 p. 102. Siquidem & hic, circumjecti montes
 venis pyritæ aluminosi & chalcantosi abundant.
 De ejus productione desinet dubitare, qui alu-
 men coquere unquam vidit, & quod hic na-
 turæ operationem ars imitari videatur. Hæc
 ingredientia, sulphur nempe, bitumen atque a-
 lumen & ferrum Crato à Kraftheim, vid. Epist.
 med. pap. 242. sq. nostris his thermis in-
 esse jam cognovit atque eas pro alvo & urina
 movenda interne, & roborando, emolliendo &
 discutiendo ac adstringendo, externe adhibuit,
 hincque podagricis, ischiadicis, in tendinibus
 scirrhosis & fluxionibus ad scapulas vel spinas,
 in colico dolore item & articulari efficacissimas
 eas deprehendit. Tandem mentio facienda
 est terræ residuæ ex evaporatione & elutritio-
 ne, quæ quandoque ex luteo albicat, quando-
 que cinereum plane colorem refert, commix-
 tis quandoque filamentis velut minoribus inter-
 se contortis atque inflexis, & subpinguis non
 raro deprehenditur. Ulterius reperitur & alia
 species terræ longe subtilioris, salinæ, unctuosæ,
 quæ aquis thermalibus tremoris instar superna-
 tur. Curicula ista, quam format terra hæc sub-
 tilis una cum partibus salinis & oleosis crassior &
 conspicua magis appetet, quando aqua defervuit

§. VII. Hæc vel superficiaria etiam recensio
jam sufficiat, cum quantitatem exactissimam
singularum ac omnium expiscari quis velle,
res esset incerta, si non vana, nec nobis jam
adeo multum interest specialissimam nosse, im-
primis cum singulis fere annis pro diversitate
temporum aliqua variatio in his circa scaturi-
gines nostras soterias advertenda veniat, secun-
dum particularum singularum majorem & mi-
norem copiam, quare nihil pro immutabili na-
turæ lege reputes, v. g. hoc anno majorem
quantitatem salis alcalini, bituminis, martis;
altero minorem concedit. Hoc residuum ter-
reo-salinum subalbum, aut ex luteo albicans,
nec aquam astusam colore puniceo & simili
odore graveolenti ex lixivioso fœtido inficit;
altero rursus sulphureæ magis & graveolentes
thermæ atque hoc calidores altero tepidiores
deprehenduntur &c. Proin quoque non omni-
bus annis æqualis operatio semper sequitur.
Ut explicatius loquar; ante biennium thermæ
Schafgotschianæ maxima & plane inconsueta
bituminis copia a medio Aprilis ad finem us-
que Octobris conspicuæ erant, quæ ideo potum
impediebat; (potæ enim statim ardores sto-
machi & dolores capitis gravissimos excitabant)
diaphaneitas aquæ & calor tamen perstigit im-
mutatus, & visum est, hos binos fontes ordi-
narios suos effectus inter se quasi commutasse.
Hocque annotatum est, quod frigidioribus an-
nis magis laxent, quam calidioribus, ut & quod

Schafgotschianæ si prægressa hyems frigidior fuerit & plus nivis deposuerit in montibus, Sudetis, tunc & parum bituminis effundant; Abbatia vero alias ferme æqualiter se habent ad exterrnum hoc accidens. Utræque thermæ tempestate pluviosa fortius spirant sulphureum odorem & imminentibus ventis plus quoque emitunt vaporum immo die una vel dimidia ante pluviam, calidiores apparent & caput balneantium magis afficiunt.

§. VIII. Unde vero variationes hæ eveniant, haud meum facio nunc prolixius explicare, disputare, dirimere. Nobis parum interest; an quis ex siderum aspectu vario, conjunctionibus, oppositionibus, an alias ex pluviis, imbribus, alias ex flatibus, exhalationibus, ventis, illas procedere affirmet. Certas aliquas cæterum mutationes a tempestatibus calidioribus, aut frigidioribus, siccioribus, aut humidioribus adscribi posse ex modo allegatis observationibus facile crediderim, imprimis cum alias quoque alterationes fontium ab ipsis pendere clare percipiamus. Quin immo etiam hoc in nostris accurate æstimantibus & observantibus notatum est, illas imbribus præter modum cadentibus aliquid virium suarum amisisse, quod & alii, ut Aristoteles jam, aliis de Magnesiis de aliis imprimis & frequentius de acidulis observarunt. Facile enim tunc fieri potest, ut in transitu affluent copiosæ aquæ pluviales vel a nive copiosa liquefacta affluant, æque ac observamus,

mus, si latiori fossa forte augeantur, accedente
 quædam fera vena, quam vocant (ut aliquan-
 do propemodum in Schafgotschiano contigis-
 set vel in illo fonte prope Franckensteinam
 contigit) virtute, qua antea, non amplius pol-
 lent. Illud quoque a vero haud abesse cen-
 seo, quod aquæ sæpe fluant non per fodinas
 mineralium tantum, sed & juxta eas, ita saltem,
 ut particulæ quædam ipsis communicentur, &
 quod in via assumant tales alias particulas, ut
 earum usus debeat existere varius, immo ple-
 rumque incertus, videmus hoc sicuti in nostris
 quovis fere anno, ita & in aliis. Quare fallun-
 tur ii & fallunt, qui forte concedunt aquarum
 thermalium perennem virtutem adesse; Sic ul-
 terius Sebizijs de acidulis Alsatiæ scribit: eas
 esse quandoque adeo acres, ut dysenteriam
 commoveant, non nunquam effetas & pristino
 vigore privatas. Injuriosi vero in thermas
 videntur, qui si vel levi mutatione aëris, eoque
 pluvioso & nebuloso existente, vel ventis mi-
 nus secundis agitato, minus bene se habeant,
 vitium in thermas conjiciunt, cum potius ac-
 cufare deberent ambientem aërem mutatum,
 qui in corporibus illorum ejusmodi alteratio-
 nem efficit, quod non solum ægri, sed & satis
 alias sani toto die experiuntur. Plura & certa
 hucusque in illis non invenire potui, quan-
 quam diu multumque scrutatus sum, irritus ta-
 men labor, irritumque duntaxat scrutinium,
 dubiumque judicium fuit. Alii thermis no-

stris & aurum & argentum, immo gemmarum
tincturas assignant, eoque nomine Ficuncellen-
ibus, Budensibus in Hungaria, Favariensis-
bus &c. ut vulgo fertur, æquiparant, ut ante
aliquot annos metallurgus quidam aut avaritia
aut adulatio[n]e forte ductus sabulum ex Schaf-
gotfchianis thermis, addito pulvere fusorio, in
regulum aureum fusisse gloriatus est. Ego
nullum aurum nullumque argentum in his aquis
ferratis (nec vel iis inferioribus ad minimum,
cum adhuc earundem efficacia major neque
experientia, neque ratione satis probari possit)
invenire aut demonstrare hucusque potui,
quamvis non simplici vice sedimentum aqua
Regis solutum & præcipitatum fuerit, nulla ta-
men punctula nigricantia examine eodem mo-
do instituto aquaque forti instillato & s. a. præ-
cipitatione facta lamina cuprea se manifestave-
runt.

§. IX. Sed ad rei cœptæ seriem redeamus.
Aqua simplex eaque pura, levis, subtilis qua-
lemque nostræ thermæ vehunt, quæ vehiculum
harum mineralium constituit, haud inutilis de-
prehenditur, sed maximas vires & medicamen-
tosas possidet, quippe humiditate, mollitie, le-
vitate, fluxilitate, tenuitate & copia sua in mor-
bis insignem affert utilitatem, utpote salia mor-
bosa diluit, eluit, & crassos humores tartareos
emollit, attenuat, & superfluum excrementi-
tum per colatoria educit, vias aperit ac ex-
cretoria aperta servat, obstructionesque referat,

ariditatem partium solidarum corrigit & sanguini, omnibusque humoribus fluxilitatem ad vitalem circulum desideratissimam conciliat, secretiones & excretiones omnes juvat, somnum conciliat & pene omne curationis punctum absolvit, huic in quantitate nimirum majori assumtae majorem, quam vulgo creditur atque perpenditur, partem in sanandis morbis tribuo ac profiteor simplicem aquam puram, subtilem levem solam quam plurimorum fontium posteriorum, in quibus ne mica quidem principii mineralis, metallici aut salis continetur, utramque ut ajunt paginam facere, exemplo ex notissimis sint Favarienses, Schlangenbadenses &c. Atque quoniam deinceps salia illa soluta sunt, magis ob id penetrant aguntque. Ac ne id quidem mihi reticendum est, quod calor & ut partes subtilisat unitque ita & horum ingredientium vires haud parum adjuvet, efficiatque ut intestina sua agitatione calefaciant, ut magis penetrare & transire possint, humores circulantes ad majorem motum cieant, magis aperiant, magis diluant. Nam tenendum & hoc est, quod & alias aqua calida magis diluat, quam frigida, vis enim diluendi per calorem intendi videtur: aqua enim calida, magis secundum minimas suas particulas agitatur, magis movet, motu & vigore suo promptius intimiusque penetrat, viscida potenter resolvit, humores salbos acriores imbibit & diluit, ad fluiditatem reducit, solvit, detergit, ac secum ad emundatoria

abripit, secernit exacuitque. Hocque vivido suo calore & blando partes corporis humani foveat, ac reficit jugiter. Namque thermarum aquæ hoc habent peculiare, quod & aëri expositæ calorem suum diutius retineant, quam aqua communis calefacta. Hujus causa & ratio ex adductis repeti potest, quod sc. motum ab igne excitatum aér frigidus subito cessare faciat, thermarum vero calidos vapores cohibeat, ne tam cito dissipentur. Habent & hoc, quod licet sint fervidissimæ uti thermæ Carol tamen non hnguam & fauces potæ adeo adurant, neque excitent vesicas, ut quidem aquæ vulgares igne calefactæ.

§. X. Operæ pretium erit, ut singula ingredientia, prout nempe sunt extra compositum, ulterius ac seorsim inspiciamus, & illorum vires & modos operandi perpendamus, ut faciliori via ad usum deinceps illarum deveniamus. Quæ tenuium partium sunt, volatilium, spirituosalium, sub forma vaporum adscendentes, maximam vim medicamentosam, (utpote qui immediate agunt in spiritus animales,) explent, totum pervadunt corpus, immo totum genus nervosum tam nobilissimo fluido perfusum elasticò quasi stimulo afficiunt, humores rarefaciunt, sive ad majorem molecularum suarum discontinuationem adigunt, circulum illorum intendunt, organa stimulant secretoria & excretoria & virtutes alexipharmacas aliasque longe antecellunt. Tenuerit istæ partes primam hic si bi vendicant gloriam, cum fixæ minori in copia in-

insint, a quibus tantæ virtutes, quas præstant aquæ nostræ salutares, vix sperandæ veniunt; Speciam de reliquis & dicendum est, quod primo principium sulphureum ex phlegmaticis, salinis, oleosis particulis conflatum, in medicina admodum utile, acidum obliniat, temperet, emolliat, leniat, soletur nervos, spasmos sopiat, relaxet, demulcet, sedet dolores, somnum cieat (sulphur enim & aqua sunt somni materiale principium) discutiat, calefaciat, exsiccat, aperiat, penetrer, digerat, putrefactionem avertat, veneno resistat, &c. Intus assumptæ ejusmodi thermæ subvertunt stomachum, alvum solvunt, & urinam pellunt &c. Vitriolum necat vermes, exsiccat, constipat, extergit, roborat, aperit, digerit. Sal alcali purgat, urinam & sudorem movet, ut omnes aquæ (nam salia aquosa proficua magis diuretica) sale alcali turgidæ; magis vero urinam adhuc, si sal illud quoque sit aluminosum, acidulum, concitat, incidit, attenuat, aperit, siccatur, acidum invertit, abstergit, secretiones & excretiones juvat, progressum sanguinis celeriorem reddit, facilitat, cum partibus terreis conjunctum roborat &c. adeoque in conservanda sanitate & profligandis morbis, maxime chronicis ab acido imprimis oriundis eximie se gerit. Præstat hæc omnia imprimis juxta spicula sua tenuissima, divisa æther copiosus in pororum intersticiis hærens, utpote causa efficiens omnium motuum materialium, omnisque fluiditatis ob maximam suam subtilitatem & celeritatem. Ob has partes

spirituosas sulphureas & salinas per aquas folutas & activas factas caloreque exaltatas, ut potest principia magis activa, possident egregiam vim per subtilissimos poros & canales penetrantem, qua propter ad affectas corporis partes intimiores pervenit, maximeque ad motum stimulat. Quibus modo indiciis me non monente quivis percipiet, thermas nostras in contumacissimis & abstrusissimis corporis vitiis, minimorum canarium & tubolorum obstructionibus, reserandisque dyscrasiis humorum & per consequens etiam spirituum animalium corrugendis non solum interne, sed & externe egregiam ferre opem, &c. Bituminis vires affines propemodum sunt viribus sulphuris; ut aluminis, vitrioli, minus tamen efficaces; bituminosæ tamen aquæ purgando vitiis corporis magis medentur. Mars adstringit, roborat, & aperit, simul cum gravitate attenuandi ac rarefaciendi virtute præditus, quam contrariam actionem (ut cursim hoc addam) ita mihi concipio, quod vasis obstructione liberatis eorum latera adstringi s. contrahi necesse sit; fibræ enim sanguine stagnante relaxantur, remota hac vero elasticitate sua tonum restituunt & pristinam contractionem exercent. Acidum porro destruit & ad morbos corporis diurnos, salinos, tartareos multi est usus. An mars, ut solidissimum & durum corpus, aquas, s. ejusmodi liquores, qui manifeste tales non apparent, inficiat, hac vice multis argumentis & experimentis non declarabo. Terrea refrigerant, siccant, roba-

roborant, absorbent, temperant. Quin immo
in toto mixto ex oleaginositate humectantem,
emollientem, anodynam ; ex odore forti pe-
netrantem ; ex sapore subdulci concoquentem,
emollientem, &c. ex subadstringenti refrige-
rantem, condensantem, replentem, roboran tem;
ex subamaro purificantem , aperientem, atte-
nuantem; ex salso fiscantem, resolventem, a
putredine præservantem, diureticam, laxantem
hariolamur qualitatem, & sic porro.

§. XI. Ob varias has concretorum in se invi-
cem mixturas operationes variæ quoque oriun-
tur, ut ideo non tantum ingredientia minera-
lia, sed & crafis & modus vel secundum vete-
res temperies substantiæ attendenda. Namque
ob unionem adeo intimam & novum quoddam
quasi enascitur, nova componitur vis, ut illud
in multis videmus, v. g. mithridat. & theriaca,
cort. peruv. pulvere pyrio &c. in quibus con-
junctæ atque unitæ saltem partes effectum e-
dunt. Optime inquit Galenus de med. facult.
L. II. remedia quædam specifica, quæ tota sub-
stantia, i. e. non juxta certas suas partes, sed
quatenus omnes hæ partes totum quoddam
constituunt, agunt. In hanc rem testimonium
quoque affert B. Ettmüllerus Op. M. T. 11. p.
1907. Sicut videmus, inquit, in antimonio, cu-
jus neque substantia acida , neque alcalina se-
parata, sed ambæ saltem combinatæ catharticæ
sunt. Quare satius est, & multi momenti, ita
sen-

sentiente Galeno L. V. de sanit. tuend. thermas & aquas medicatas experientia ipsa cognovisse, cum modus unionis, (non simplicis cuiusdam mistionis) adeo intimæ nondum satis perspectus sit. Ideo monet Hœferus in Herc. Med. T. I. p. 345. de aquarum, dicens, medicatarum qualitatibus temere non judicandum. Si enim videmus tales aquas constare v. g. ex alumine, sulphure, ferro, nitro, non statim pronunciandum: ergo eas habent virtutes, quibus constant mineralibus, &c. Quin immo refert A. Libavius de Nat. metall. p. 93. inveniri aquas ollas corrodentes & lapides, eorumque halitus mentem eripientes, quæ tamen salubres sunt medicinæ, quod & de Wolkenst. Gœbelius narrat.

§. XII. Ac si omnia sub incudem revocamus atque perpendimus, hariolari licet, quod nostræ aquæ soteriæ sive externe sive interne usurpentur, caloris & contentorum ope virtutes calefaciendi, diluendi, emolliendi, maturandi, sicandi, corruptionem ac putredinem avertendi, relaxandi, acrimoniam temperandi, leniendi ac mitigandi, dolores sistendi, attenuandi, resolvendi, detergendi, aperiendi, confortandi, consolidandi, evacuandi præsertim obtineant. Exindeque colligitur, quod ventriculo, intestinis, utero, vasis sanguineis, pulmonibus, &c. auxilium ferant & quod magnum usum præsent in morbis ex lympha crassa, viscida & salsa acida, acri oleosa, in obstructionibus in atonia fibra-

rum

rum ac earundem crispatura, in exulcerationibus, tumoribus &c. atque uno verbo in plerisque morbis, si non restitutionem in integrum, levamen ad minimum maximum concilient. Licetque vel exterius saltem in balneo adhibentur, vim tamen penetrandi egregiam per poros corporis undique possident immo ad fluida usque. Calida enim aqua utpote magis mobilis atque pervadens primario, cui ingredientia tanquam vehiculo insunt, non solum laxat fibras & dilatat, aperit, rarefacit poros cutis, ut hæ particulæ salino-sulphureæ, magis activæ, spirituosæ, libere eoque melius intimiusque per eas se insinuare & operationes suas perficere possint, sed & ipsa per poros particulis suis lubricis, flexilibus promptissime se recipit ad intimiores corporis usque recessus, quæ res licet a multis in dubium vocetur, per multa tamen experimenta multosque effectus demonstratur, adeo ut vix de ea dubitare liceat. A peripheria ad centrum sic recepta aqua thermalis, undique operationes suas perficit; & rursus a centro ad peripheriam agit. Unde aptæ sunt, quæ causas morborum etiam in remotissimis locis destruant; Penetrantiae resolutionisque humorum coagulatorum, earum vis exinde vel nudis oculis patet, quia in balneis limpidis interdum post infestionem leve quædam pinguis atque interdum nigricans cuticula supernata, ex balneantibus sine dubio non ex ipsis thermalibus aquis profecta. Amplius dicendum est,

est, quod aquæ in balneo mole, densitate ac pondere, quo ipsum aërem adhuc antecellit, undique nitentes agant, cutem cum subjectis musculis & vasis omnibusque reliquis organis impellendo, comprimendo eoque humores ex glandulis & poris excretoriis etiam ex intima corporis regione exprimendo, sicque circulum sanguinis augendo, ut variis experimentis demonstrat L. Bellini de miss. sangu. p. 144. ad quod efficiendum majorem vim possident, dum ex inferioribus scaturiunt calidæ, quæ vis ex aqua in fontibus artificialibus aut thermometris inclusa & calefacta metiri potest, dum in altissimum spatum evehitur ac expanditur, vel vas firmissime etiam solidissimis inclusa, accidente calore, dum ea magna vehementia disrumpuntur. Quam actionem adjuvant spiritus & salia, maxime in ipsis aquis thermalibus contenta, quæ titillatione levique vellicatione sua & stimulo in papillis nerveis facto, eam sollicitant. Et ut in compendio illarum faciem exhibeam: s. intus, s. extus adhibeantur, duo illa summa capita remediorum explent, alterant sc. & evacuant totum corpus sensibiliter & per omnia emunctoria, insuper præservant & curant, juvant per se & per accidens morbos internos & que ac externos, operantur tam quantitate, quam qualitate.

§. XIII. Operatio autem ipsa his resultans, secundum varia subjecta variat, ut hoc quidem commune omnibus propemodum remediis est:

In

In aliis efficacior, in aliis minus talis est; nunc enim v. g. balneum imprimis obstruit alvum, nunc solvit eam, nunc potus alvum magis aperit, nunc magis urinam pellit, nunc sudorem, quandoque & salivationem concitat, non raro per nares, interdum per aures & ductum Fallopianum, ad fauces pone uvulam excernit atque deponit recrementa. Eadem operatio rursus in aliis per narum spontaneas hæmorrhagias, per hæmorrhoides & fœminarum mensium fluxum aliasque uterinas excretiones se exferit. Alii citius, tardius alii a thermarum adhibitione moventur. Nonnunquam simul omnes hos effectus edunt, nonnunquam aliquos & seorsim; hocque pro utentium vario vigore & sensibilitate ventriculi & intestinorum, pulsu cordis & arteriarum copia, consistentia & fluxilitate humorum, amplitudine pororum & meatuum accidit, unde etiam facilis aut difficilis transiunt aquæ, distribuuntur, solvunt, secernuntur & excernuntur. Ordinaria vero nostrarum thermarum operatio, quam omnes propemodum maxime balneantes experiuntur, & quæ iis quasi propria censetur, est, quod post aliquot modo ex balneo dies cutis rubris maculis aut purpura totius corporis cum maxima euphoria suffundatur, quæ efflorescentia modo in his per unius saltæ septimanæ spatium, modo in aliis per plures III. IV. V. atque quandoque VI. hebdomades & ultra subsistit, & vel balneo continuato iterum decedit, vel etiam non raro post usum

usum balnei absolutum protrahitur. Immota sunt exempla eorum, qui domum jam reversi per tres menses purpurati manserunt, & quibus hæ cutis efflorescentiæ tribus vicibus inter hoc tempus redierunt, & sponte sua temperato regimine habito, cum euphoria etiam decesserunt. De reliquo operatio earum utensium satis leniter sensimque, sed securè certe que procedit.

§. XIV. Alioquin nostræ temperatæ thermæ ferme omnibus temperamentis, cujuscunque fere ætatis, sexus, atque conditionis sint, convenientes atque maxime sunt & acceptæ, conferunt medenturve affectibus chronicis itidem & acutis, calidis sic dictis ac frigidis &c. Nimirum refrigerant transpiratione, quam movent, & poros aperiunt, rarefaciunt partes sulphureas, calidas temperant, ejiciunt, relictis terreis aqueis frigidioribus vel ebullitionem & obstructionem tollunt; calore vero suo frigidos fovent, resolvunt, ut in auras abeant; superfluæ humidæ partes, fibras & roborant ut se contrahant, promoveant, neque superfluum quid iterum admittant. Sicca vero humectant corpora, dum aquæ copia & mora sua partes diluunt, humectant, emolliunt, & humores rassos colliquant. Galenus Lib. de marasmo & Lib. III. de offic. Med. simile annotavit de balneis & Hipp. L. de affect. circa finem ut notum est, alias frigida quandoque calorem revocare (cutem refrigerando, contrahendo, effluvia

Auvia calida ut retineantur,) & quædam calefaccere per se, per accidens vero refrigerare (v.g. camphora, sp. vini, opium) & quædam per se refrigerare, per accidens calefacere (ut aqua frigida, acerum.) Verum enim vero si exacta ac strictiori æstimatione hoc ipsum perpendimus, in genere dicendum est, omnes thermas manifeste calidas balneo præsertim adhibitas subjectis humidis & frigidis, serosis laxioris habitus, fœminis magis convenire, morbis quoque frigidis & humidis ; calidis jam existentibus vero minus, ut febribus ardentibus & inflammationibus &c. ubi vero morbus talis nondum factus, sed in fieri adhuc & ubi dispositio saltem adest, &c. thermæ utique concedi poterunt, ita sentiente Baccio L. III. p. 131. experientiaque comprobante.

§. XV. Priusquam hinc abeamus, differentiam quoad operationem & effectus, quæ duabus his fontibus intercedit, seorsim & explicatius lustrabimus. Evidem maximâ ex parte inter se convenient, differunt tamen, si exacta pensatione æstimantur. Nimurum minus calefaciunt Schafgotschianæ thermæ, magis emolliunt, magisque resolvunt, atque abstergunt, adeoque in ulceribus iisdemque malignis & contumacioribus, & scabie atque catarrhis & similibus obnoxiis magis profundunt; cachexiam, tumores quoque duros magis sanant, avertunt, præcavent, resolutionibus, contusionibus, immobilitatibus, tremori, obstructionibus, in fluidi

nervi impedito ad partes defluxu &c. magis
 sunt utiles; in dyspnœa, asthmate, hypochondriaco malo & melancholia hypochondriaca
 (potæ) certiorem præstant usum, excretiones
 omnes cutaneæ ex illarum usu magis proveni-
 unt, plus alvum laxant & diuresin augent; at-
 tamen quadantenus ventriculum debilitant &
 appetitum destruunt, citiusque suas vires per-
 dunt. Alteræ potæ, si in ventriculo vel ejus
 orificio bibentis aliqua saltem acris vel biliosa
 materia hæreat, excitant magis gravitatem &
 dolorem ventriculi & capitis cum inflatione
 abdominis citra frequentiorem alvi dejectio-
 nem. Cumque calidiores sint, frigidioribus sic
 dictis subiectis, mulieribus, frigidioribusque ac
 humidioribus magis affectibus quadrant extero
 usu commendatæ, magis afficiunt, penetrant,
 imprimuntque contenta, atque roborant, con-
 densant, leniunt, siccant magis, quare morbi
 ex laxitate partium, uteri &c. nati facilius re-
 stitutionem nanciscuntur & fluxiones pertina-
 ciores atque rheumatismos, scapularum, spinæ,
 coxendicis, junctorarum manuum & pedum
 validius abigunt, conferuntque magis podagri-
 cis, gravidis, fluxui mensum nimio aliisque
 fluoribus obnoxiiis, & accidentia, ut vertiginem,
 capitis dolorem, gravedines &c. concepta ex
 usu forte fontis Schafgotschiani his curantur.

C A P U T IV.

Usum specialem Thermarum
Hirschbergensium tradit.

§. I.

JAQVIS jam fundamentis ad usum thermarum nostrarum devenimus, ut specialius hunc penum instruamus. Habent utique thermæ suos insignes & varios usus, cum medicos, cum medico-politicos (ut mere politicos taceam) ut scilicet v. g. saepe immorigeri ægri domi praecepta Medicorum negligentes, aut fastidientes, suo genio ex consuetudine domestica indulgentes, recepta universali observantia ibi locorum strictiori, teneantur, quo saepe miratus sum ægros vix 20 vel 30 guttulas tincturæ aut dr. ß pulveris alias assumere negantes in thermis tantam copiam aquarum thermalium bibisse. Ut porro animus in ejusmodi amœnis gratisque diverticulis a seriis curis, negotiis gravioribus, concatenatisque laboribus & domesticis occupationibus ad tempus quoddam abstrahatur, pacatus & tranquillus reddatur, novitate & mutatione loci, jucundo convictu & hilari familiaritate, amica & læta conversatione, quæ in ejusmodi consuetudine eminent, colloquiis amicorum & variorum peregrinorum recreetur, hoc pacto enim mire animus roboratur & erigitur, excitatur, & hinc sanguinem & humores temperate movendo & spiritus excitando, non

adeo facile morbos admittit, vel citius ejicit. Non facile dictu est, quantum faciat hilaris animus ad prolongandam vitam atque sanitatem conservandam amissamque restituendam, immo ad promptiorem remediorum operationem. Qualis enim animus est, talis spirituum motus, talis motus cordis & arteriarum, tonusque partium, talis circulatio; & qualis circulatio, talis est sanitas. Scite in hanc sententiam scribit Bardus in Med. polit. p. 310. Cor lætum beneficit medicinæ; tunc enim medicamentum proficit & juvat, dum alacri animo est, qui illud accipit. In præsens notatur, quod Menedemus Philos. apud Laërt. L. II. 133. dicatur Φιλόποδος exinde, quod ad loci insalubritatem vel evitandam, vel minuendam frequentius inter amicos, hospitesque in conviviis exhilaraverit animum, (quō corpus quoque sustinetur) & quod Romani olim & Byzantini inter summa deliciarum genera peregrinationes retulerint. His & jungitur eximus usus motionis corporis, mutationis aëris, victus, consuetudinis &c. Quantum illa omnia ad sanitatem conservandam, præcavendos morbos, & præsentes fere omnes chronicos atque rebelles immorigeros conferant, nemo non novit, aërem enim (quem occultum vitæ pabulum Veteres jamdudum esse dixerunt, & recte quidem dixerunt:) istis in locis, ubi thermæ habentur, longe alio salubriorem esse, constat, & quæ sunt alia, non longius jam recensenda.

§. II. Sed ad Spartam nostram, quam tuendam suscepimus. Evidem usus primarius thermarum Hirschbergensium, (ut cæterarum quoque) olim duntaxat externus atque balneum fuit; verum etiam illarum internus sive potus etiam æque probatur. Crato a Kraftheim uti legere est in Epistol. med. p. 251. suo tempore frequentissimum eum vidit atque commendavit, hodie is magis iterum negligitur; balneum usitatissimum est multifariis commoditatibus plurimis commendabile. Quocunque etiam alio modo adhibeantur salutares sunt, immo solus earum vapor utilitate sua non destituitur. Quamvis hoc fatendum sit, quod ob longe forte minorem, quam continent, salis partem aliis, v. g. Carolinis quoad potum non æquiparandæ sint, purgant tamen æque sine notabili corporis perturbatione atque debilitatione, minori longe quantitate ac Carolinæ, siquidem unus saltem alterque haustus alvum pluries movet ac non raro vomitum creat, & licet per plures sæpe dies istæ operationes instituantur, utentes tamen vix exinde debilitantur, quod omnibus thermalibus aquis commune est, & in hoc mirabile quoddam præ omnibus aliis pharmacis evacuantibus habent, utpote quæ sub purgatione & sudatione quam efficiunt, vires simul notabiliter perdunt cum ventris tormentibus, anxietatibus circa præcordia imprimis, siti, fastidio ciborum, vertigine, lassitudine & quandoque animi deliquio, aliisque sat gravioribus

ribus symptomatibus. Nec non urinam potenter crient, & sudorem quoque simul movent. Utrumque remedium, balneum scilicet & potus, in usum duci convenit, ubi viscidum, pituitosum, glutinosum, crassum firmiter plicis & parietibus ventriculi & intestinorum impactum, imprimis est resolvendum, emolliendumque & educendum, acidum temperandum, & mineræ morbosæ intimiores circa membranas & nervos &c. hærentes tollendæ, & ubi pertinacissimi & abstrusiores affectus & frigidiores sic dicti subsunt, vel ubi hæc vel illa pars affecta majori remedio præ reliquis opus habet, ubi & affectus & pars affecta majorem vim ac impetum celerioremque operationem exposcunt. Atque ubi majori energia citiorique penetratione opus ascensus ex puteis thermalibus cum scaturientibus aquis (das Aufquellen) jungendus ac stillicidium quoque in auxilium vocandum.

§. III. Proximum jam est, ut thermarum nostrarum multipliçi experientia non per unius faltem seculi decursum in morbis corporis humani adeo innumeris probatum usum, & ex universalibus adductis colligendu nū fuisus tradamus. Sc. diligenti & quotidiana fere annotatione constat, quod nullum prope morborum genus sit, quod in medicatis nostris aquis suum remedium non inveniat, atque quod præsertim virtus illarum optime se manifestet rite exhibitarum in omnibus morbis diuturnis, chronicis

cis & pertinacibus, & qui lyſi maxime solvuntur, pnevmatosi læſa, chylosi læſa & inde natis cruditatibus & humoribus corruptis, acidis, ſaliniſ, tartareis, biliōſis, viſcidis, & inde dependentibus stagnationibus & obſtructionibus, viſcerum infarctu, humorum decubitu illorumque impuritate nec non a tono fibrarū læſo oriundis, aut ubi fibræ ſunt tensæ, rigidæ, contractæ, in motibus ſpasmodicis, doloribus, tremoribus, impotentia motus &c. In ſpecie di- cendum eſt, eas prodeſſe in omnibus affectibus capitis, ſi deuteropathici & a cauſa, ut dicunt, frigida ſint, ſi vero idiopathici & inveterati, plurima ex parte non tam certe non tam facile opem confeſſe. Tumque miros præſtant effectus in vertigine, cephalalgiis, vigiliis immo- dicis, affectibus ſoporofis (in declinatione præ- ſertim) memorie debilitate, ſtupore, reſolutio- ne, contractura, paralysi, paræſi, &c. Utile quoque eſt balneum poſt perpeſſos melancho- liæ paroxysmos, item in oculorum affectibus multis, doloribus, viſus hebetudine, fistula la- crymali & gutta ſerena, aurium fuſfurro, tinnitu, gravi auditu, ſurditate, humiditate ſuperflua, a- poſtemate, dentium gingivarum affectibus, qui fiunt ex condensatis crassisque humoribus & acrimonia. Observatumque etiam eſt: reſti- tutum inde fuſſe gulfum atque olfactum abo- litum, & loquela amiffam. Conducunt por- ro in dyspnœa, asthma humido, extra pa- roxysmum, tufſi ferina ſimilibusque affectibus.

pulmonum, si sunt a simplici stagnatione, perfrigeratione, pressione, infarctu & per consensum hypochondriorum, phthisi incipiente, & exulceratione pulmonum superficiaria, quæ non est exedens aut putrefactiva, pulmonum scirrhonodium inveterato, nec non palpitatione cordis, incubo (potæ.) Juvant affectus ventriculi & intestinorum viscerum dyspepsiam, cibi fastidium, lienteriam, cœliacam passionem, diarrhoeam, dyenteriam, vomitum, choleram in declinatione (balneo) revellendo humores, glandulas salivales & gastricas sollicitando & influxum spirituum concitando. Tenesmum, tonum ventriculi adstrictum solvunt, si bibuntur, laxatum firmant, tormina ventris & colicam flatulentam, pituitosam immo & spasmodicam sedant, flatus discutiunt, singultum sistunt, intus extusque exhibitæ. Crato a Kraftheim Epist. med. p. 250. Vratislaviensem quendam civem primarium, multo tempore colicis & articulorum doloribus diu excruciatum, præter spem ex potu thermarum convalescere vidit. Potæ & in alvi segnitie & iliaca passione, in incipiente hydrope, ejusque speciebus, in anasarca, leucophlegmatiâ præfertim æque ac in balneo suadentur. Item in malo hypochondriaco & scorbuto, quia temperant, diluunt, demulcent massam sanguinis, saliaque abstergunt eaque per debita emunctoria educunt, optimæ sunt. Nec est quod in calido, ut ajunt, scorbuto eas metuas, ut quidem quidam scrupulum

movent, quoniam moderate sat agunt, neque adeo debito modo usurpatæ nimis calefaciunt, exsiccant, liquidas partes necessarias absumunt, neque salia scorbutica magis exaltant. Aliæ quoque tales temperatæ thérmæ, ut Empfenses & Teplicenses in hoc morbo innoxiae sunt inventæ. Hic occasio obvenit recensere historiam de viro quodam Ministerio ecclesiastico in Lusatia constituto hypochondriaco scorbutico, a me notatam, cuius postquam per II septimanas thermis nostris usus esset, extrema digitorum, manuum pedumque, præsertim ungues nigro ad instar atramenti colore obducebantur, qui post III septimanas demum ex continuato balnei usu sensim decessit. Ad hæc infibribus intermittentibus diuturnis, quartana præsertim, & ephemeris (cæteris paribus) non modo in declinatione, sed & in principio & statu, (nam tales curant æque ac præservant) iis præsertim quæ a transpiratione sunt impedita, vel si secundariæ illæ sunt, v. g. a scabie retrocessa &c. conceduntur. Commendantur illarum potus in pathematibus, febribus ex præpostero chinæ chinæ vel adstringentium usu supervenientibus, ubi exinde hectica & hydrops imminent &c. Galenum idem sentire in genere de balneis calidis, patet ex I. ad Glauconem & L. V. de sanit. tuend. adducitque, quosdam, balneo sine quotidie febricitasse: Siquidem & ego novi potu illarum febre tertiana continua & lenta varios liberatos esse. Nihilquæ vetat

balneum adhibere in metu inflammationum,
 erysipelatis &c. (præservandi & roborandi,
 transpirationem promovendi fine) in inflammations
 quibusvis internis & externis desinenteribus,
 v. g. pleuritide, peripnevmonia, tunc
 enim suppurationem maturat, dolores mitigat,
 solvit, educit. Herniam intestinalem non adeo
 inveteratam & repositam in sede firmant sine
 dubio juxta alias dotes, quas afferunt, leniter
 constringente firmanteque sua virtute perito-
 næum in pristinum suum statum reducente;
 flatuosam autem discutiunt, & singulas consol-
 lidant, quibus in casibus fons Præposituræ præ-
 fertur. Hæmorrhoidum fluxum nimium com-
 pescunt, hæmorrhoides vero cœcas aperiunt,
 hæmorrhagias fistunt maxime potæ, quo &
 vermes necant educuntque. Scirrum he-
 patis, lienis, aliorum viscerum & glandularum
 & vasorum & obstructionem immo & nervo-
 rum resolvunt, aperiunt, secretiones humorum
 per suas glandulas adjuvant rarefaciendo hu-
 mores partesque laxando, indeque natum icte-
 rum flavum, nigrum, curant. Renum, urete-
 rum, vesicæ dolores, a calculo nimirum oriun-
 dos omnium immanissimos demulcent ac fistunt,
 exulcerationes, excoriationes, tumores, læsio-
 nesque alias harum partium sanant, quo nomi-
 ne nostræ non inferiores sunt aquis ferratis in
 Tuscia, quæ vesicariæ ea propter nominatae
 sunt. Urinam prolixiunt, poros aperiendo,
 aliasque suppressiones humorum excrementi-
 torum

tiorum solvunt, saburram viscidam, tartaream, destruunt, calculorum, sabulorum, renum & vesicæ eductionem promovent, atque expellunt, imprimis intus sumtæ, si nimirum non sint nimis grandes calculi & per multos annos jam non cum illis luctati sint ægri, & ubi in fieri magis sint, & in vasis tartarus ille adhuc fluctuet fluidus, & inflammationem insequentem præcavent. Curant præsertim Abbatiae thermæ diabetem, incontinentiam, difficultatem, ardorem urinæ, (imprimis puerarum) mictionem cruentam & purulentam. Uterum sanant, meatus illius recludunt, impuritates, humiditates extergunt, fovent, resiccant, roborant imbecillem, tumores ejus emolliunt, resolvunt, mensium obstructioni (tum emolliendo vias, tum fluxiles reddendo humores, & excitando.) Sterilitati mulierum & impotentiæ virorum subveniunt ac venerem languidam in utroque sexu instaurant, priapismum vero corrigunt, ulcera prostatarum sanant, læsionibus aliis pudendorum, rimis & prolapsui uteri & intestini recti insessu inserviunt. Balneum præcavet abortum, partum in iis, quæ alias cruciatu & labore gravi pariunt, circa instans tempus adhibitum, fœtus mortui & molæ exclusionem facilitat, menses superfluos & inordinatos, fluores albos mulierum, pallidos & discolores ac genituræ involuntariam emissionem in viris, maxime Præposituræ fontis compescit, uteri suffocationem atque hystericam passionem,

nem, ut & potus avertit, ac furorem uterinum componit. Prosunt thermæ in obesitate minuenda & impedienda, si diutius & largos usque sudores illarum usus protrahatur, succum nutritium evacuando, robur addunt fibris laxatis, illudque restituunt. Fovent refrigeratos nervos & tendines, exindeque dolentes perniones, dolores artuum etiam ex lue venerea residuos, sistunt & corrigunt, & a mercurio forte in corpore restitante vitia alia inducta emendant, idque ob sulphur præsertim quod mercurium ligat: quinimmo sub fine luis venereæ permittuntur. Quoniam evacuatoria omnia aperta nostrarum thermarum usus servat, excrementitious accumulatos humores variæ indolis educit, & obstructiones salium genetrices potenter resolvit, calore pariter blande demulcet & roborat. Catarrhos, rheumatismos in quibusvis corporis partibus & fluxiones ad scapulas præcipue, spinam dorsi, juncturas manuum & pedum, malum ischiadicum & arthritidem maxime fixam, podagram, si ex imbecillitate partium collecta materia articulis est impacta, tutius certiusque quam ex defluxione vaga volatiliori, si non adeo inveteratum sit malum & ad senectutem usque productum, vel hereditarium, vel ubi callum & nodos non apposuerit majores, balneum maxime sanat & viariosum tendinosis & nervosis partibus altius insidens, humidum peccans discutit & dissipat, omnibus ideo morbis spasmodicis utile & aptum;

quan-

quanquam etiam potus hos dolores aufert. Consulto itaque utrumque in usum in his casibus ducatur, & potus præmittatur, ut materia peccans per vomitum, alvum & urinam ejiciatur, & dein balneo debilia membra roboren-
tur. In ipso tamen paroxysmo & in principio horum morborum minus (balneum) idoneum est. Egregiæ utræque quoque sunt thermæ in podagra in corpus retrocessa. Enervatis, re-
frigeratis & debilitatis, paralyticis, resolutis,
trementibus, convulsis, contractis & spasmo
crispatis, duris, inertibus, claudis, nutritione
depravata & impedita & tabe & atrophia mar-
cescentibus & exsiccis membris explanandis
ex contusione, iectu, casu, fractura, luxatione
articulorum (tum emolliendo, tum roborando
nervosas partes) defatigatis item (hinc juvenes
olim Romani in palæstris fatigati se mox in
thermas iis ordinario junctas recipiebant, ut &
ambustis callosis balneum egregie subvenit.
Hæ in his casibus gravioribus præ omnibus aliis
balneis vobis notis palmam præripiunt, adeo
ut ad nostras artuum articulorumque affectibus
capti, ad ultimum quasi asylum, ob tot felices,
quos in iis percurandis edere solent effectus,
longe lateque notos, confugiant. Apprime
etiam illud (balneum) utile est post morbos
chronicos diuturnos perpeccatos. Tumores du-
ros, flatulentos, œdematosos pedum &c. & ab
erysipelate, podagra potu aquarum &c. prove-
nientes

nientes & tophos articulorum strumasque sic emolliunt, attenuant, resolvunt & varices auferunt. Abscessus, exulcerationes & apostemata omnia non solum externa, sed & intus collecta in capite, pectore, hepate, renibus, utero &c. maturant, emolliunt, aperiunt & per proximas & expeditas naturæ vias repurgant, imprimis Schafgotschianæ extus quidem adhibitæ. Sanguinem congrumatum in interioribus & læsione partium (Verbrechen) resolvunt, læsionesque ipsas atque adeo nervosarum partium persanant atque complacant. Vulnera, fistulas & ulcera brachiorum & crurum, abdominis reliquarumque partium inveterata, callosa, maligna, cancrosa, rebellia, fluida & corrosiva & male curata, gangrænam, cariem ossum, spinam ventosam, rhachitidem, non adeo inveteratam eam quidem, sanant, affluxum ultiore inhibent, acidum ichorosum domant, carnem sphacelatam & putridam separant, novamque renascere faciunt, fibras nerveas roboran, latera glutinant, cicatricem inducunt. Vulnera jam dudum, sed non rite sanata, aperiunt, saniem & globulos, festucas, frustula ossium fractorum aliaque profunde hærentia, sanguinem impudentia, eliciunt. Conveniunt fracturis calli inductione egentibus; Commendantur etiam ad vulnera a telo, globulo venenato &c. illata, ad morsus venenosos animalium, venena assumta (pellendo per circulationem ad exteriora.) Immo in morbis ab incantatio-

tationibus nostræ thermæ a nonnullis laudantur. Omnes fœdos virginum colores auferunt, omnesque maculas cutaneas variii generis, diversæque indolis scorbuticas & vitia alia, quales sunt impetigo, vitiligo, verrucæ, herpes miliaris, serpigo pinguis, lychenes, scabies fœda, humida, lepra, pruritum, item variarum partium, phthiriasin, fœtorem alarum & pedum abstergunt & corrigunt, ac discutiunt, humores in poris cutaneis hærentes sic & unguium vitia, scabritiem, emendant, suffusiones dissipant, membris lividis colorem naturalem restituunt, sanguinem aliqua in parte coagulatum, stagnan- tem resolvunt, cuti nitorem inducunt, & cosmetici vices iimplent. Insuper quandoque a recte valentibus adhibitum balneum sanitatem integrum diu servat atque longævitatem conciliat, siquidem balnea etiam simplicia quandoque atque debito modo adhibita, præcipuum nedium ad senium retardandum & propagandam vitam esse existimo, quoniam per ea fibram & membranarum nimia ariditas & exsiccatio, soliditas & durities atque canarium angustia, quæ crescente ætate inducuntur, & secretiones & excretiones debitas influxumque iquidorum laudatissimorum, ad motum ac nutritionem necessariorum, impediunt & circulatiōni humorū obicem ponunt, sicque vires ubinde absumunt mortemque naturalem infēunt, emollitione avertuntur & præcaventur. Pro quo scopo præsertim in quotidiano fere usu

usu talia fuerint olim Græcis atque Romanis. Si vero balnea simplicia hoc egregium emolumentum addunt, majorem adhuc nostra ejusmodi præstabunt, quemadmodum sunt temperata ac blanda omnibusque hominibus, qualis etiam sint constitutionis, convenientia, & quia egregie emolliunt & partes solidas ita disponunt, ne fluidis circulantibus impedimento sint, atque commoda memorata melius expediunt.

§. IV. Juxta hos primarios & universales usus balneum nempe & potum, alios quoque eosque particulares, & secundarios magis thermæ obtinent. Nimirum quandoque & loco fomentorum adhibetur aqua thermalis. Sic incolæ quando oculorum vitiis, hebetudine, suffusione multisque aliis, immo inflammatione laborant, eos illa cum laudata euphoria fomentant, sed oculi clausi tunc teneantur, ne forte vapores sulphurei molestiam creent; externe vero sic admotæ aquæ thermales egregie discutiunt. Hoc modo adhibitis in fœmina quadam fistulam lacrymalem feliciter sanatam esse scio. In nares etiam adtrahi possunt aquæ thermales pro abigenda ozæna, & restituendo odoratu amisko &c. In hydrocephalo egregiam tulisse illas externe sic usurpatas, opem constat. In Maniacis item capitiluvia ex thermali aqua adornata proficua inventa sunt. Hæc vicini Poloni contra morbum suum endemium, plicam polonicam cum successu adhibere solent.

Nec

Nec dubium est, quin & in aliis capitibus vitiis locum inveniant, iis præsertim, qui in memoriam revocare vellent, quantas morborum curationes solis capitibus lotionibus Georgius Anwaldus, a quo panacea anwaldina procedit, instituerit. De lutatione, fatus specie, multis in thermis apud nos pariter ac apud veteres teste Plinio usitata, hoc tantum referam, quod & ex nostris adhiberi posset. Nam ille, qui Schafgotschianus audit, fons sat copiosum lutum ejusmodi concedit, neque contemnendos effetus exinde esse sperandos in nervis, articulis, artubus graviter affectis &c. omni asseveratione affirmo, & expertus hoc saltem testor, hocce lutum inter duo linteamina per aliquot dies cervici applicatum in resolvenda & derivanda gravissima oculorum congestione insigne levamen attulisse. Stillicidium quoque illorum auxiliorum genus est, Græcis olim usitatissimum quod & magnarum virium esse de prædicat Galenus 13. method. med. l. c. ult. Huic ad majorem penetrationem membra indurata, resoluta, contracta, insensibilia, immobilia & tumoribus duriis frigidis & abscessibus, nec non rheumatismo & arthritide obsessa caput, aures, collum, humeri, hypochondria, pedes morbis frigidis seu humidis, quos vocant vitiati subjiciuntur. In linguae paralysi idem efficacissimum nuchæ applicatum est deprehensum. Præsertim clysteres ex illa aqua imprimis ex Cœnobii fonte hausta, parati haud sper-

nendum usum, & quandoque majorem quam potus præstant in hydrope præsertim, colica, calculi dolore, iliaca passione. Frequens cum aqua thermali oris colluitio, gingivarum vitiis ac tumoribus, illis erosis & ulceribus medetur, illas firmat, fœtorem oris corrigit. Gargantatio cum ea, tumores tonsillarum & anginam tollit. Si calidæ auribus instillantur, dolores earum sedant. Maximi tandem usus pediluvia sunt, quæ non solum juxta infesulum in pedum affectibus, sed & in aliarum superiorum partium corporis morbis fere quibusvis, capitatis præsertim, in omnibus doloribus, vertigine, melancholia, mania, somno turbulento & vigiliis immodicis, &c. admodum conducibilia sunt, quoniam sanguinem in pedibus lente circulanten diluunt, in circulum pristinum & debitum concitant ac cutem laxant, quo simul efficiunt, ut sanguis atque humores ab aliis partibus in has laxatas magis affluant, illæ vero ab onere liberentur; Nec non adulcera & fistulas interiores intestini recti &c. magno cum emolumento per siphones injiciuntur aquæ thermales.

§. V. Novum invitat de potu argumentum: an etiam thermæ inter pastum convenient potæ & an e re sit, cibos illarum aquis coquere & juscula sorbilia atque cerevisiam exinde parare. Damnat ejus modi usus imprimis Baccius l. c. & Panarolus Pentec. III. p. 105. Ast ut ut omnem inter pastum illarum usum & juscula exinde

exinde cocta jam non longius probare volo; novi tamen colica, cardialgia, inappetentia, bradypepsia, tono deperdito, laxato & similibus ventriculi & intestinorum vitiis affectis, tunc potas calidas optime contulisse. Potantur & eundem in finem optimo cum successu quoque aquæ Bathonienses in Anglia Guidotto referente pag. 268. Acidulis alibi incoquuntur cibi.

§. VI. Quod modum adhibendi spectat, ut felix faustusque sit eventus, sequentia sunt tenenda. Nam omnia Medicorum præsidia per se & sola nihil sunt, nisi recte habeant utentem, quando demum ea veluti Deorum manus recte dixeris, ut Herophilus dogmaticorum Medicorum doctissimus dixit. Ante omnia salutem suam desiderans, Summum in cœlis Numen devotis precibus exoret, ut divino suo favore adspirando suam gratiam & benedictionem largiatur ac addat, a qua omnis salus unice exspectanda; dein experti & prudentis Medici opera in consilium vocanda erit, ut præhabita exquisita notitia thermarum simul & que utentis constitutionis & conditionis, ætatis, sexus, virium, consuetudinis, causarum, partium affectarum, tempestatum anni, vietus vivendi que rationem habeat, utpote quæ remediorum effectus alterare & variare solent, ut præterita commemoret, præsentia dirigat ac moderetur, futura avertat, & prospiciat & expendat; si affectus urgeant, si aliqua minus consentiant, a-

noxiis tueatur. Hoc namque omnibus prope-
modum remediis commune est, ut non in omni-
bus subiectis & eodem morbo laborantibus ea-
dem operatio, idemque sit effectus atque even-
tus, exinde quod humorum temperies valde
discrepent & quod habeant temperamenta,
immo individua suos mores, morbos & pecu-
liarem ad hunc vel illum motum suscipiendum
proclivitatem. Nam generales vulgares regu-
lae a diversis Medicis circa thermarum usum
præscriptæ & in thermologiis suis consignatæ
in genere & saltem late sunt accipiendæ : hinc
adeo multa videntur tristia exempla in ther-
mis, quæ de noxa exinde sequita sat superque
testantur; thermæ vero tunc insontes perver-
se accusantur. Inanis certe tibi erit usus ther-
marum, si non omnino nocivus, si regimen de-
bitum & administrationem juxta leges pruden-
tiæ & artis institutum non observes.

§. VII. Præsertim corpus bene præparan-
dum est : Summa vero præparationis consistit
in eo, ut ab excrementitiis, vitiosis & exube-
rantibus humoribus per alvum laxantibus &
lubricantibus lenioribus, salibus detersivis &c.
junctis interdum clysteribus pro re nata etiam
vomitoriiis blandis & diureticis salinis, præser-
tim fixis & volatiliорibus &c. corpora liberen-
tur & educantur illa, quæ debent educi, ne
abundantia & impuritas humorum aquarum
operationem impedit, distrahat, frustretur,

commotæ varias turbas excitent, difficiliorem transitum reddant, & simul cum iis ad M. S. transeant, docente id Cl. Sennerto, de febb.^a Hung. p. m. 551. sequentibus: li, qui pravis^a scatent humoribus, quicquid cibi, aut medica-^a menti assumitur, corrumpitur, evacuandi sunt,^a antequam alexipharmacum exhibeas.^a Quod imprimis de thermarum usu valet, ut (cum ea quæ thermas, simul purgationem indicent, & v. v.) sc. obstrunctiones tollantur & lubricentur, purgentur, evacuentur & sic expeditæ reddantur viæ, per quas thermæ operationes exequi debeant. Præmittantur his digestiva, aperientia ex martialibus, tartareis, amaris, salinis, terreo salinis, aromaticis &c. (ut purgatio eo me- lius succedat) iteratis etiam vicibus. Imprimis præparatio hæc magis necessaria est iis, qui balneum ineunt, quam illis, qui potum eligunt, cum potus quandoque vi sua detersoria & purgante neglectam purgationem suppleat, balneum vero non item, movet quidem, sed non promovet & confundit, subtiliores partes edu- cit, crassas aut intactas relinquit, aut subtilio- ribus discussis magis incrassat, figit, impingit, exinde obstrunctiones, vigilat diurnæ, anxie- tates, capitis dolores, tormenta ventris, catarrhi, febres, ulceræ, exanthemata, urinæ ardor & obstructio, icterus, apoplexia, alvus adstricta, passio hysterica & similia mala enasci possunt. Ast caveant sibi omnes a vulgaribus & drasticis purgationibus, resinosis, præsertim potaturi.

Nocentissimum enim imprimis est interno aquarum thermalium usui purgantia fortiora præmittere : nam valida illorum operatione in fibras teneras, tonus ventriculi & intestinorum maxime destruitur, tunicæ illorum glandulosæ & crusta villosa, per quam omne humidum abit in vasa lactea ulterius promovendum, constringuntur, eroduntur penitusque perduntur. Hinc quando dein aquæ potantur, nec bene per alvum neque per urinam transfire possunt, sed retentæ maximas anxietates aliaque mala pariunt. Si plethora adfit onerosa, altero die ab assumto laxante sanguis vena extrahatur venæ sectione, vel vicaria scarificatione, maxime in iis, qui ætatis vegetæ sunt & qui plenius vivunt, vitam sedentariam agunt, vel quibus obstruitur hæmorrhoidum & mensum fluxus &c. vel qui illi adsueti sunt : ne rarefactione forte humorum subsequente ruptiones, hæmorrhagiæ, graves febres aliaque multa incommoda producantur. In plethoricis enim calidæ aquæ potæ difficulter per debita emunctoria ob difficultem jamdum humorum circuitum secedunt. Insuper experientia præter alia constat, phthicos speciatim propemodum thermas bene ferre sanguine prius ventilato. His namque præmissis omnia generatim tunc felicius succedunt.

§. VIII. Advenæ ergo unum alterumque diem ex itinere fatigatum corpus curent ac requiescant, ut alterna requie delassati reficiantur

tur & pares sint curæ thermarum eo melius sustinendæ, & deinceps medicamenta debita præscripta adhibeant. Præparato sic corpore cura ipsa thermalis in nomine Dei est inchoanda. Igitur sive potaturus, sive balneaturus statim mane somno sufficienter peracto, alvo urinaque prius reddita & jejuno ventriculo per diuidiam vel integrum horam prius placide, neque ad lassitudinem usque ad levem tamen incalescentiam maxime si habilius, musculosior, robustior, cute densiori præditus sit, obambulando, vel alia ratione & exercitio corpus moveat & fricet, quæ frictio in debilioribus, paralyticis, arthriticis &c. etiam loco exercitii erit, vel gestatio quoque in lectica, & si neque hæ fieri possint, commodum erit ante prandium aut coenam suppositorio ex melle tantum, vel sapone uti. Nimirum juxta Hippocratis L. II. de diæta effatum matutinæ obambulationes humores attenuant, caput aliasque partes alleviant, alvi ac aliorum partium excretiones promovent. A meridie post prandium hora Vta vel VI. digestione sc. absoluta, ne chylus justo citius exturbetur & confundatur, observatis, quæ modo diximus, balneum & que ac potus repeti potest. Namque lege moreque statutum est, ut semper duarum horarum ad balneum terminus maribus & fœminis alternis vicibus præfigatur, ita ut qui matutinis horis ineunt, vespertinis eundem repeatant, immo vix ulla diei hora continet, quin iterum sit ab aliquibus occupata.

Balneaturi lente descendant atque primum per gradus sese immergant, tandem ad mentum usque, ut thermas bene tolerare adsuescant. Insidentes primum non modo attolluntur natantes quasi, adeo ut cum renisu quodam se mergant, sed & formiculationis quasi sensum in inferioribus corporis partibus persentiscunt, iisque primis diebus valide abdomen quasi comprimitur & constringitur & spinam versus valide contrahitur, quam validam contractionem vix in aliis thermis adeo sensibiliter experuntur & me judice, tam a mole ac pondere aquarum cutem subiectos musculos cum vasibus comprimente quam calore blando fibras demulcente, maxime vero a particulis activis atque divis subtilissimis, spirituosis, salinis, sulphureis in poros cutis se insinuantibus sensibiliterque vellicantibus, ut fibræ fortiter se constringant, deducendum. Hoc vulgo pro bono signo & merito quidem habetur, atque tunc appetitus capiendi cibos mire augetur; Si autem infletur & torminibus afficiatur & uratur abdomen & totum corpus inhorrescat, malum, & balneum inutile futurum significat. Quidam sc. qui abundant humoribus acribus, dumque ii promoventur & transeunt, in primo ingressu uri & rodi interius sentiunt, & deinde inhorrescunt, (quod & alias experiuntur, quando in sole stant, aut ambulant, aut fricantur, aut corpus exercent) qui horrores tamen continuato paucisper usu cessant, quod pro bono signo pariter habe-

habetur; indicat enim humores peccantes ad extra ferri, tuncque æque augetur cibi appetentia.

§. IX. Quamdiu in balneo commorandum, & utrum semel in die an bis balneum ineundum sit, tolerantia cuiusvis & vires ægri, morbi & aliæ circumstantiæ & Medici prudentis consilium indicabunt, v. g. juniores consistentis ætatis, homines crassi, obesi, phlegmatici, robusti alias diutius frequentiusque senioribus balneum protrahant; cholerici, debiles, rario-ris texturæ, macilenti, debiles & teneri longiorrem evitent in balneo moram. Optimo cœterum consilio ad horam tantum dimidiā, vel integrā primis diebus insideant, & semel tan-tum in die, dein & sequentibus per duas horas & iterata quoque vice balneum ingrediantur, ut aquæ vis sensim irrepens in laxum corpus agat. Haud sine ratione alias vulgo dicitur, tamdiu in balneis commorari debere, usque sudor promanare incipiat; indicat enim serofas superfluitates excerni. Balneo egressi & post embrocham summo studio ab aëre ambiente frigido se muniant, ne pori cutis ab eo occludantur, incommodaque varia inducantur, quæ alioquin deinceps non balneo quam aëris mutationi aut verius propriæ incuriæ adscribant, & in tepidariis proxime adstructis linteis calidis abstergantur & indusiis calefactis & vestibus commodis induantur, & refrigeratione sic bene omniue modo evitata, domum se recipiant,

fricentque membra imprimis resoluta, ad horam unam vel alteram in lecto decumbant, imprimis imbecilliores & dormiant, quiescant, transpirationem & lenem sudorem expectent atque permittant, ad quem ab ipsius lecti blando calore expansionem modicam ipsis humoribus procurante invitantur. Somnus enim & abstinentia post balneum digerunt, transpirationem promovent, protrahunt, humores motusque ex balneis humorum & spirituum irregulares forte exortos componunt. Qui & causa & signum erit percommode speratae utilitatis; Attamen plethorici post balneum potius ab eo abstineant, & per breve tantum temporis spatium non tam in lecto quam sella, ac sedentes magis quam recubantes requiescant. Deinceps, usque ad prandium modice per semihoram circiter ambulent, deum, postquam corpus ad calorem temperatiorem & consuetum iterum se receperit. Quemadmodum enim nec ab assumto cibo uti oportet balneo; sic neque mox a balneo cibo, potu imprimis frigido; Et cum quandoque balneum alvum adstrictam reddere, & sitim intendere soleat, multum bibant tam inter prandendum ac cœnandum, quam reliquo tempore, neque inconsultum erit, ut illæ molestiæ melius præcaveantur, ante balneum bibere. Insuper clystere emolliente & leniente alvus eluatur vel suppositorum applicetur, interque cibos & ante prandii cœnæque tempus laxantia, ut pruna damascena cocta,

cocta, passulæ cum tartari cremore & similia
 assumantur. Non facile iterum est determini-
 nandus certus dierum & horarum balneo im-
 pendendarum numerus, ratio circumstantiarum
 supra adductarum & commodorum, quæ æger
 consequitur, habenda est. In his enim balne-
 um mox, in aliis serius operatur, adeoque lon-
 gius alii, alii brevius expetunt tempus. Alias
 vulgo usque ad iv hebdomades, extenditur
 cura, aliqui tamen tantum per xx aut xxiv
 dies balneum perferunt, & sic porro vel alio-
 rum ad C. horas computatione; quamvis mul-
 ti ad XL. L. LX. dies, vel CXXX. & CXL. ho-
 ras sine detimento terminum protrahant. Si
 ad summum terminus protractus fuerit, & salus
 sentiatur per aliquot dies, consulto persisten-
 dum est, dein iterum sensim desinant balnean-
 tes. Nec est, cur in vulgi opinionem disceda-
 mus, ac si semper tamdiu esset lavandum, do-
 nec cutis rubesceret, & corroderetur & usque
 dum iterum sanata & detersa esset. Nam hæc
 cutis efflorescentia, quamvis ordinario insequa-
 tur, non semper & in omnibus ex necessitate
 accidit, & non raro est signum omissæ debitæ
 purgationis vel diætæ errorum demum commis-
 forum, vel etiam balnei longius justo protracti,
 (cum potius tunc desistendum sit.) Si vero
 observatis observandis rubores, maculæ, exul-
 cerationes cutis appareant, non temere tunc
 est a balneo statim desistendum. Si hæc diutius
 remaneant, domum præsertim reversi, decocto
 quo-

quodam calido ex vino & herba veronicæ, flor. rosar. chamomilli. sambuc. adjecto alumine tandem ad deficcandas illas abstergendasque partes purpuratas abluere possunt. Si forte quandoque balneantes ob aëris inclemenciam ægre se habeant, adeo ut & per aliquot dierum intervallum balneum omittere necesse sit: in illo nobis stat consilium, ut tunc clysteribus singulis diebus iteratis aquæ thermales nihilominus tamen injiciantur, longiusque retineantur. Si æstus forte corporis insolitus, febris aut mensum fluxus in fœminis, aut hæmorrhoidalis in viris præsertim accedunt, per aliquot dies intermittendum est balneum æque ac potus.

§. X. Peculiare balnei genus est & thermis Hirschbergensibus quasi proprium, quod in aliis vix habetur & adscensus vulgo, das Aufquellen, vocatur. Aemulatur hic balneandi modus illum, qui Neapolim inter & Puteolos præsertim in cellis sudatoriis celebratur. Hoc autem ita se habet, & in utraque scrobe institui potest: exhaustis nimirum penitus aquis, balneaturi ad fundum usque descendunt & una cum scaturiente iterum aqua sensim non sine sensu voluptatis nec sine insigni efficacia ascendunt (aufquellen.) De quo scire licet, quod ut per duplo longius tempus in illis sedent, ita etiam adhue plus simplici balneo balneantes hic adscensus afficiat ac conferat: Spiritus enim atque vapores exorientes thermarum ac integri,

qui

qui etiam solidas materias in se recipiunt, illius profundo arctiori scrobis spatio conclusi detentique magis sunt, diutiusque siccii retinentur & siccum quasi balneum seu laconicum quoque & vaporosum efficiunt, ut duplicata quasi vis exoriatur & fortius operetur, atque solvantur evocenturque succi pravi sudore. Quare non citius in usum trahatur, nisi quis prius per aliquod tempus ordinario balneo adsuefactus fuerit, & bene illud ipsi convenire sentiat: nam non omnes, imprimis tenerioris & delicatæ constitutionis, item calidioris temperamenti, exsiccati, biliosi homines, præsertim fœminæ & quibus alias caput, ut ajunt, debile est, hoc balnei genus, quod adscensum vocant, perferre possunt.

§. XI. Potaturi mane statim priusquam quisquam insideat, vel ex fundo ex fonte Schafgotschiano præsertim (hic enim potus magis ob minorem bituminis quantitatem conveniens est) siphone extractam, & quantum fieri potest, aquam calidam adhuc ambulando in conclavi tepido, (ut melius moveatur, in actum deducatur & facilius distribuatur;) vel stando, aut sedendo, continuatis diebus sorbillatim, sensimque & per vices spatio unius horæ hauriant. Quantitatem quotidie augeant, simulque operationem & perferentiam attendant, & si legitime omnia eveniant, per aliquot dies VI, VIII. &c. in eadem quantitate persistant. Incipiunt ordinario ab unciis v. libra β ad j semis,

mis, vel ij, usque dum aliquoties singulis diebus moveantur. Sensibiores & teneriores, vasa habentes ampla, spasmodicis affectibus obnoxii uti minorem mensuram ita quoque brevius tempus exposcunt. Robustiores vero, crassiores, pingues, spissiores multosque humores habentes & fibras torpidiores, consistentisque aetatis majorem mensuram, longioremque terminum desiderant, & per II aut III septimanas quotidie optimo cum successu bibunt. Signum autem erit efficacis purgationis, si talia dejiciantur, quæ debent dejici, pituita nimirum maxime crassa, si libere per alvum & vesicam transeant, si fiat cum euphoria & levamine. Sub potatio ne ut plurimum percipiunt blandum titillationis sensum per totum corpus ad extremas usque partes, energiæ & penetrationis signum. Non facile interponatur balneum, ne operatio hæc forte impediatur, quod & inconveniens, Galenus ex comm. 4. aph. 5. comm. 5. in L. VI. Epid. tr. 29. jam agnovit, quamvis & sciam, in certis casibus potum in ipso balneo optimo cum fructu institutum fuisse, ita tamen ut per aliquot dies potus solus antecederit; Si ambo indicentur, potus præcedat balneum; Si vero a potu intumescant membra, tunc balneum per diem unum saltem aut duos adhibitum iterum diaphoresi discutit intumescentiam. Neque si primis diebus aqua pota vomitu forte rejiciatur, statim desistendum est, sed pergendum, quia deinceps melius operatur, meliusque

que plerumque se habent bibentes, præsertim cum thermæ nostræ potæ maxime per vomitum operentur. Si primo aut secundo ad summum die restitent in corpore aquæ, neque per vomitum, alvum & urinam reddantur, tertio necessitas omnino exigit, ut convenienti remedio educantur; vulgo salina, liquefcentia, stimulantia, diuretica, purgantia, vel pro re nata emetica lenia exhibentur, & recte quidem exhibentur, ut nimirum materia peccans a pota huc usque emollita atque attenuata, cum aqua certius atque facilius excernatur. Dantur tamen casus, de quibus Medicus præsens judicet, qui hanc regulam non sine exceptione esse patiuntur, v. g. in calculosis, hypochondriacis, hystericis, ejusmodique affectibus spasmodicis affectis, a spasmodica fibrarum ventriculi, intestinorum &c. contractione excretio impeditur: contra methodum sane quis faceret, qui fortiora ejusmodi stimulantia tunc adhiberet, cum potius antispasmodica &c. desiderentur. Si vero frequentius & continuatis diebus vomitus quoque accedat, clystere forte parum stimulante poterit diverti; si minus, & si post v. vi. vii. dies aquæ fastidium, flatus, ructus, gravis abdominis tensio, fluctuantis hinc inde aquæ perceptio persentiantur, medicamentis aliis appropriatis occurratur, stomachusque juvetur aromaticis, balsamicis & aliis ejusmodi stomachicis, si que hæc non succedant, penitus potius omittendus erit potus. Non vero te deter-
reat,

reat, si primis diebus acerbius paulo afficiaris,
 quod validioribus fere remediis commune est,
 v. g. dictante experientia decocta ex quajaco,
 sarsap. &c. exhibita in principio magis ægros
 affligunt, quam in progressu; causa sine dubio
 est, quod primum validius operentur, atte-
 nuent &c. factisque tenuioribus fluidis humo-
 ribus pravis corpus perturbent, donec subacti
 penitus fuerint. Ubi postquam urina saturata
 colore & turbida hucusque excreta fuerit, aqua
 talis iterum per aliquot dies reddetur, qualis
 sumta est, ulterius ab ejusmodi potu cœteris
 paribus abstinere licet. In potu ipso rite ob-
 servent leges huic debitas & quemadmodum
 post balneum requies, ita potius post potum
 ambulatio & lenis exercitatio per horam aut
 dimidiam confert, cum frictionibus linteis ca-
 lidis per totum corpus institutis, ut circulus
 sanguinis liberior, liberiorque distributio, tran-
 situs, secretio & excretio humorum facilius fe-
 liciusque promoveatur, neque se statim aëri
 liberiori, frigidiori exponant, sed potius in con-
 clavi tepido ea instituantur. Quibus peractis,
 decubitus in lecto per horam aut duas quoque
 conceditur, ut lenis sudor superveniat, qui dein
 linteis calidis bene abstergatur; arbitrorque iis,
 in quibus sudor difficilis sed utilis, haustum u-
 num aut alterum quoque aquæ thermalis in
 ipso lecto convenire. Post aliquot, iv. v. aut
 vi. horarum spatium, quantum ad reddendas
 aquas eas tintas quidem requiritur, prandium
 assu-

assumatur. Post prandium iis, quibus aquæ potæ per alvum & vesicam rite redduntur, somnus quoque ad unam v. g. horam, in sella tamen potius & erecto corpore sedendo magis, quam in lecto cubando concedi potest; sin minus, interdicendus potius est, cum somnus has excretiones retardet; Plethoricis præsertim somnus meridionalis interdicendus, quoniam sicut, capitis dolorem, temulentiam & non raro febres facile inducit. Reliquum tempus inter honesta sodalium atque amicorum ac hilaria colloquia aut jucundas meditationes transfigatur. Ante cœnam placida iterum ambulatio proderit: Quam male ideo illi sibi sanitati consulant, comparet, qui per totum diei tempus inter ludendum defixi, immotique manent. A cœna consulto abstineant habitiores, obesiores, & que potantes ac balneantes, post illam parcam tamen in somnum se componant noctemque quietam sibi reddant, ut suavis fessos sopor erigat artus.

§. XII. Si instillandæ aquæ, (prius purgato quoque corpore, observatisque de balneo & potu dictis) in membra nuda affecta, in os sacrum, humeros, cervicem (caput rasum, imprimis circa futuras,) & paulatim aut pro re nata conferunt aqua calida ex alto & impluvio velut quodam stillata ex colo, gutturnio, epistomio & simili decidat. Quo majori vi, majorique impetu, motu nimirum magis aqua thermalis adjuta penetret, lentos humores hærentes magis divi-

dat, solvat, magisque intimiores obstrunctiones
referet & tonum restauret. In dies hoc stillicidium rursum augeatur, v. g. initio per unam,
deinde per unam cum dimidia ad duas usque
horas & tamdiu, donec speratum auxilium ac-
cidat, cuius spes affulget, si æger ad partis affe-
ctæ penetralia penetrasse caliditatem aquæ sen-
tiat. Inter instillandum solent præsertim etiam
oculos obtegumento munire. Finito illo sin-
gulis vicibus membrum detergeatur calidis
linteis beneque fricitur : Notandumque est,
quod ut plurimum ægri tunc graves somno fi-
ant, qui vero omni studio est interrumpendus,
quare in Hetruria, quibus aliisque Italiæ oris
usitatissimum probatissimumque hoc auxilii ge-
nus est, in more positum est, ut conductæ mu-
lieres in his locis illos stillicidio utentes canen-
do excitent. Post stillicidium maxime pars
subjecta affecta bene obtegatur, calidaque ser-
vetur. Tempus commodissimum est matutini-
num & post hoc vespertino. Reliqua se
habent, ac in balneo & potu observanda. Qui
stillicidium hoc præsertim in caput minus ferre
possunt, ii, ut impetus leniatur, spongia tegant
caput, ac ad eam demum aquam thermalem ex
alto effundant. Fomentatio commodissime
adhibetur, si spongia illis imbuatur, vel linte-
mina & panni in illis madefiant, calideque ad-
huc sic applicentur & bene obtegantur. Il-
ludatio fieri potest, observatis observandis, quæ
de balneis diximus, calida & vel cum ipso bal-
neo,

neo, vel post balneum per aliquot dies VIII. X.
vel XII. &c. potest etiam aliquoties in die mane
& vesperi repeti. Pediluvia extra balnei ho-
ras quoque possunt parari, præsertim vero ante
lecti ingressum. Præstat immo necesse est, ut
usque ad genua & supra quoque ea pedes iis
immittantur & per horam cum dimidia ad duas
usque detineantur. Ante immersionem pedes
fricare convenit, & post eam pedes linteis ca-
lidis abstergere aëremque frigidum arcere.

§. XIII. Utrum non prius desistendum, quam
in morbus ex toto sit sanatus, respondendum per
distinctionem. Si æger sentiat suis viribus &
naturæ thermas s. potas, s. balneo adhibitas
convenire, morbum vero de die in diem mi-
nui, autor suasorque essem, pergit, donec de-
sierit. Et si semper fructus felix non adeo sit
manifestus, modo non desint vires, non tamen
temere statim desistendum atque desperandum
est. Nam experientia testis ac vindex est,
multos per totum ipsius curæ tempus nihil le-
vaminis, nisi post plures demum menses, per-
fessisse. Pauciores enim in magnis præsertim
morbis experiuntur statim sensibilem & insignem
utilitatem. Quin immo longa observatione
compertum est, balneorum utilitatem longe
firmiorem & certiorem esse, quæ non subito,
sed interjecto aliquo temporis spatio, (de ma-
gnis affectibus, non de levioribus loquor) sen-
tiantur. Bono igitur esto animo, cum tempore

interdum operantur thermæ, illarumque juvamen progressu temporis, Deo dante, senties. Quarundam enim (quod curiosum) thermarum certus terminus efficaciam est, quod & de Thermis Carol. dicitur. Sic Baccius alias earum commemorat, nonnisi post decursum anni desideratum effectum afferentes. Atque quandoquidem notabile illud videtur, thermas huic quidem semel profuisse; illi vero semel inutiles, secundo aut tertio anno fuisse utiles.

§. XIV. Optimum thermas adhibendi tempus & commodissimum est vernum, aestivum & autumnale. Verum non est, cur existimes, thermarum usum, si occasio aliter non ferat, hyberno tempore esse nocivum, aut frustranum. Nam hyeme æque viribus suis constant, (si non majoribus, cum frigus non sinat spiritus exhalare, ut sentit Morellus de balneo Patavino, tunc & videbis majores in illis vapores) ac quidem æstate. Ut hoc in passu temperies & clementia aëris potius, quam anni menses spectandi. Perinde quoque acidulæ hyeme cum effectu potantur. Sic memini acidulas Swalbacenses cum fructu exoptato potas fuisse hyeme, confirmat & hoc J. Th. Tabern. in Wasserschatz p. 176. & sq. Ridet secus opinantes Morellus, rident & omnes Medici experti; rident ægroti sanati. Ipse novi multos, qui alias æstate castra sequuntur, tempore hibernali thermas Carol. adiisse, expectatumque fructum

fructum reportasse, novi etiam adhuc plures ex incolis, qui nostras thermas ex experientia æque laudant hyemali tempore adhibitas. Nec video (salva Hippocratis auctoritate) cur ardente Syrio imprimis in his montium temperatioribus recessibus nocivæ sint futuræ ; alias autem hoc non inficiari possumus, existente nimio solis ardore vires nostras languidas esse, & spiritus animales resolutos nimis atque desperitos, quare natura humana non satis perferendo thermarum longiori usui sufficiens est. Quod vero æstate magis suadendum sit, statim comparet ratio, quod cœlum tunc temperatum, aut etiam magis calidum, corporaque perspirabilia magis, & ne frigus, quod ægre sub ipso balnei usu in egressu præsertim devitari potest, (ut de aliis hyemis incommodis taceam :) noceat ac lædat.

§. XV. Fallunt autem admodum, aut fallentes incaute sequuntur, qui putant : thermas anno bis sextili, s. anno saturnino semper esse non modo inefficaces, sed & nocivas, quemadmodum vana æque opinio, & forsitan eo defumpta, tunc non esse plantandas arbores, quia minus felices fructus proferrent. Quis est, qui non statim, me non monente, sentiat fucum ? Hoc superstitionis genus a Romanis sine dubio ad nos pervenit, quibus bis sextum rebus romanis semper infaustum habitum est, notante Marcellino Lib. XXVI. quod & in Medicinam est translatum, in qua numerus senarius & dies

sextus infestissimus habetur. Nec est, quod adeo metuas, illas a sideribus quandoque corrupti. Aliis exosæ sunt thermæ pariter ac acidulæ, ob vapores arsenicales (communes atque familiares mineralium fere omnium) coniunctos. Non nescius sum, multa de multis exempla prostare. Sic de balneo aliquo in agro Pisano Savanarola memorat, quod illud interdum morbosum sit, & quod tunc temporis aqua turbida & lutea fiat. De alio fonte in Aethiopia alii referunt, quod rubram aquam vehat & delirium inducat. De nostris vero thermis illud sine studio & odio necesse est, fatear, nunquam tale quid deprehensum fuisse. Inanes quoque falsique rumores sunt, qui in hanc sententiam afferuntur, ac si ii, qui thermis usi fuissent, raro diu viverent, & quod inter tres annos plerumque moriantur, quod B. D. Michaëlis quondam confidenter affirmavit, teste auroto V. A. Möllenbroccio de Varis p. 282. Affirmat & hoc F. Hoffm. L. II. M. M. c. 6. p. 445. Ast experientia nullam dictis facit fidem, & si id eveniat, non tam thermis, quam vi morbi & illegitimæ administrationi infelix ille successus potius erit adscribendus. Scitu hoc denuo est necessarium, necesse esse, ut ex ipso statim fonte & in ipso adhibeantur, ubi enim alio portatae, frigefactæ & recocctæ fuerint, debitum effectum æque non edant: (quod sulphureis & spirituosis thermis commune est, cum partes volatiles avolent) uti quidem aqua Vilkenfis

lensis & Aquarina, aquæ S. Cassiani, Porretanæ, Salsulæ, montis Catini, aquæ Scarburgenses, quæ perferunt retinentque suam naturam atque virtutem ad plures septimanæ, & quando jam fœtent. Attamen a Schwenckfeldio de therm. Hirschb. p. 78. annotatum est peregre transportatam aquam nostram thermalem podagricis solatium attulisse. Pariter irritum negotium suscipies, si illas arte chymica concentrare, aut in essentiam, aut Q. E. redigere velles.

§. XVI. In præsens queri adhuc oportet, annon usus thermarum medicamentis adjuvari possit, ut balneo, imprimis quidem medicamenta? Nam si in egressu aut ingressu ejus exhibeantur, & in calidum & solutum ac bene ita præparatum corpus perveniant, ea operationes suas & vires efficacius exerere possunt. Pauca tantum sufficiunt, nam sola thermarum vis plerumque sufficit, (si modo sufficienter atque debite adhibeantur) cum remediorum farrago confortantium, stomachicorum, cephalicorum, similiaque gloriose saepius ignorantiae nomina frustranea magis adhuc externa linimenta pro avertendis noxis ex balneo vana erunt. Tantum abest epotias aquas tonum ventriculi & intestinorum perdi, destrui, laxari, quin potius ipsa thermalis aqua robur, tonumque justum fibris conciliet. Ejusmodi vero in casu, quando potarum aquarum non sufficienter aut segnius succedat per alvum & urinam operatio, nece-

saria erunt idonea laxantia, diuretica, aperientia &c. assumenda interponendaque erunt. Ex quibus non excludenda veniunt diaphoretica a balneantibus quandoque assumenda, ut junctis his serum excrementitium eo melius & impellente simul interno ex glandulis subcutaneis & M. S. exturbetur, neque male agerent, si ante prandii & cœnæ tempus, vel inter cibos sal vol. oleofum vel cum sp. nitri dulci temperatum ess. absinth. & similia stomachica assumerent. Ratione tamen id exemplisque notum est, atque manifestum, cum ipso balneo non abs re esse & ante ingressum ejus convenientia & specifica sic dicta pro morborum pertinacium & gravissimorum conditione remedia propinare. Ipse scio medicamenta aperientia, pellantia obstructionibus mensium dicata & in tumoribus, obesitate nimia, diuretica, tartarea, acida, resolventia &c. in vitiis cutis sanguinem purificantia, in paralyticis consueta cum balneo adhibita egregiam opem tulisse, & sic de reliquis etiam sentiendum. Symptomata omnia, quæ interdum evenire solent, quorum frequentiora præsertim ex balneo & primaria sunt sitis, sudor nimius, catarrhi, alvi segnities, dolor & gravedo capitis, æstus, vigiliae; ex potu vero præsertim ardor urinæ, dolor ardens circa scrofulum cordis versus dorsum extensus &c. ex embrocatione dolor capitis, suffusiones, tinnitus aurium, vertigo &c. ad amissim recensere, & quibus illis occurrentum sit, definire, jam

in me non recipiam, cum non vacet jam revo-
care animum ad incommodorum ejusmodi
omnium memoriam: hæc enim provincia præ-
senti Medico potius est relinquenda.

§. XVII. Diætæ præ reliquis studendum, quæ
fere hodie ubique in thermis negligitur.
Quicquid ocii, surdis narratur, ut ajunt, fa-
bula. Aër igitur efflagitatur temperatus, qui ad
calidum potius inclinet, & purus; vitentur fri-
gidus, nebulosus, crassus, pluviosus, nimius so-
lis æstus & venti insalubres. Etenim aëris vi-
tium balneantibus imprimis nocet, quoniam eo-
rum corpora a calore atque humiditate mollia,
eorum pori undique aperti redditi sunt, unde
frigus, omniaque miasinata facilius in se reci-
piunt. Eligatur hypocaustum & cubiculum
commodum, non humile illud sit, neque humi-
dum & fœtidum. Esculentorum & potulento-
rum regimen secundum ægrorum conditionem
& morbi & thermarum qualitatem &c. insti-
tuendum. Cibis vescantur thermis utentes,
boni succi, bonæque notæ ac morbo conve-
nientibus, eupeptis, euchymis, omnibus ad me-
diocritatem ac temperantiam ordinatis: Ideo
absit crapula & ebrietas (communia certe in
thermis vicia, mediis in aquis sitiunt, exposunt
vinum.) Carnes eligant animalium juniorum,
minorum avium & caponum, perdicum, pha-
sianorum, &c. pisces in aquis limpidis & rivis
inventos, truttas, fundulos, percas, lucios mul-

los &c. Ova sorbilia, juscula avenacea, ex carne elixata bubula, gallinarum, aliaque similia, pultes ex avena, hordeo, amygdalarum dulcium, oryza &c. pruna tosta, cerasa, poma cocta conducunt. Abstineant vero a viscidis, acidis, fumo induratis, butyro frixis, nimis salitis, nimisque aromatisatis, crassis, pinguibus, nauseosis, facileque corruptilibus, fructibus horræis, flatulentis, fermentescibilibus, leguminosis, laeticiniis. Pro potu utantur cerevisia bene defecata, non acore corrupta. Vinum bonæ notæ inter prandium aut cœnam assumtum, moderata in quantitate & quæ pro usu tantum medico sufficit, præsertim adsuetis concedi potest; ii vero, qui nives, ut cum Plinio loquar, atque glaciem potant, pœnasque montium ingulæ voluptates vertunt, i. e. gelidum potum amant, gravia certe experientur mala. Cœterum exacta semper instituatur relatio, exactumque moderamen inter cibum & potum. Viatus tamen ad humidum magis inclinet. Fumus tabaci non nisi moderate in adsuetis admittatur, & omnia in genere dirigantur, prout subiecta, vires & affectus desiderant. Caveant sibi balneantes a somno nimio, vigiliis nimiis, saltationibus, delassationibus, aliisque fortioribus corporis commotionibus, longiusque & in seram usque noctem protractis, sed moderate moveatur corpus. Primæ viæ serventur semper apertæ, habitus corporis perspirabilis, & motus sanguinis naturalis. Exulet Venus, quæ cum Nymphis

Nymphis his male cōvenit. Animus liber sit
a curis, solitudinibus, omnes perturbationes
animi eliminentur, tristitia, timor, ira, impatiē-
tia. E contra omnem suavitatem ac hilaritatem
procurent, & grato amicorum conventu &
amœnis colloquiis indulgeant, ac bene de fu-
tura salute sperent, firmaque fruantur fi-
ducia.

§. XVIII. Absoluta cura corpus iterum la-
xantibus erit purgandum. Nam uti purgando
corpus præparatur, ita & finis curæ impona-
tur, ne reliquiarum tam humorum alteratorum,
quam aquæ thermalis a potu quicquam super-
fit adhuc restitantis, sed dissipetur excernatur-
que. Ethnici olim recepta valetudine Diis
suis fictis non modo grati animi indicio publica
solvebant vota & gratiarum actiones coram
universo populo, sed & ad perpetuam felicita-
tis recuperatæ memoriam tabulas votivas tem-
plorum Æsculapii maxime vel Isidis vel Sera-
pidis parietibus affigebant, iisque & morbum
& remedium inscribebant, ut Tibullus habet
L. Eleg. 3.

Nunc Dea, nunc succurre mihi jam posse me-
deri:

Picta docet templis multa tabella tuis.

Indignum Christianis esset Ethnicis pietate ce-
dere, sed cura absoluta ante omnia vero Deo
felicissimum successum adscribendo. Ei dignas
gratias exhibeant, & pro firmando & conser-
vanda

vanda incolumitate humillimis atque ardenti-
bus precibus orent, & salutis suæ recuperatæ,
aut ipeï saltēm conceptæ lēto animo rationem
habeant. Non statim iter suscipiant, verum
ad posterum vel tertium diem discessum diffe-
rant, maxime qui longo intervallo abfuerint,
ut requiescant & vires recuperent, ut itineri
perficiendo pares sint, ne permutatione tam
subita aëris, cum sc. thermæ in corpus adhuc
operentur, malum adveniat, imprimis si minus
commoda cœli tempestas nebulosa, pluviosa,
frigida incidat, (ex usu enim balnei calidi eo
magis frigoris impatientes sunt) neque in ipso
itinere corpus nimis fatigetur. Domum re-
versi laudabilem ac ordinatam per aliquod
tempus conservent diætam æque ac antea in
ipso thermarum usu ; neque abs re erit tunc
quavis septimana semel aut bis balneum ex aqua
fontana saltēm, vel etiam pro renata thermas
artificiales parare easque inire, nec non medi-
camenta tam alterantia appropriata, quam per
alvum, urinam ac diaphoresin evacuantia quan-
doque assumere, ut forte reliquiæ humorum
excernendorum per usum balnei attenuatorum
excernantur, ne in alias partes nobiles cor-
poris cum malis hominum rebus affatim ruant,
sed ut pacatus œconomiae animalis status firmius
certiusque conservetur.

§. XIX. Ad extremum nihil reliquum est,
nisi ut quædam de abusu subjungam. Quod
enim Pergameni est assertum; nullum est tam
opti-

optimum remedium, quod non alia ex parte noceat & nunquam sine incommodo magna satispius commoda proferantur, id quoque de thermis valere non negandum est. Tantum quoque abest ab usu adeo multiplici, ut omnes in universum morbos sanent, corruptamque profus naturam inveteratumque malum redintegrent atque corrigant vitia conformatioonis, ut gibbositatem & similia auferant aut senibus atque vetulis juventutem reddant, vel a morte liberent. Est sane hodie thermarum usus confusus, ac vulgari corruptela erroneus. Plurimi vel proprio saltu instinctu, levitate, superstitione, libidineque vel ignaræ plebis, vel nativitatem mulierculæ suasu sine ulla habita ratione, sine delectu, sineque Medici periti consilio ad thermas advolant, immo integra interdum Medicorum turba ne quicquam potest efficere, ut tumultuariam ejusmodi frequentiam ad balnea cohibeant, avertant, ac abrogent. Quapropter mirum non est, quod magnum sæpe periculum incurant ægri, operam & oleum, ut ajunt, perdant, & si non moriantur, tamen non solum incurati, sed & infirmiores sæpiissime redeant, vel paulo post intereant, quod mortis genus, aquis sc. perire, hodie hoc intuitu non adeo invisum, ac olim fuisse videtur, sed multi quod mirum hoc moriendi genus haud detestant: gentiles enim stoicæ philosophiæ addicunt, animam igneam esse putantes in aquam tanquam contrarium medium maxime reformidabant,

bant ; Ægyptii vero e contrario homines ex lignis confectos esse credentes , aquam potius exposcebant , & immergi amabant . Qualia exempla multoties vidi , dum in ejusmodi locis commorari occasio tulerit . Ad minimum hæc tria ordinaria quasi incommoda ex thermarum nimio aut præpostero usu , sitim nempe , ventriculi debilitatem ac maciem reportant . Taceo de illis , qui ex longe alienis causis thermas frequentant , non ut sanitatem current , sed ut genio suo indulgeant , comessentur , ludant , fermentur , omni intemperantia , illecebris , voluptatibus libidinibusque simul litent ; quo certe in passu Nostrates Romanis luxu non inferiores censendi sunt . Quæ irritamenta malorum apud Romanos Seneca & Plutarchus atro carbone notarunt : Ille præsertim ejusmodi sequentibus detestatur . „ Quid mihi (inquiens) cum istis „ calentibus stagnis ? quid cum sudatoriis , in „ quibus siccus vapor corpora exhauriens inclu- „ ditur ? Omnis sudor per laborem exeat . Pon- tanus item apprime carmine taxavit , digno quod hic legeretur , nisi chartarum harum angustia obstaret . Sed non potest quoque non damnari multorum Medicorum circa hæc re medii genera negligentia nec non imperitia , qui parum solicii de exacta illorum cognitione ægros suos ad thermas ablegant , vel , ut Pliniî verbis utar , diverticulis aquarum fallunt ægros , illosque Tantali instar ad aquas conde mnant , ut tædiosas forte morborum rebellium


curationes effugiant, vel posteaquam longo remedium usu fatigata eorum natura ita fuerit, ut omne etiam remedii genus eludat, vel quod non satis prospiciant, attendant, cum irreparabili eorum damno neque minori medicæ artis dedecore, eoque magis, cum fatendum sit, quod perpaucæ certe thermarum vires & indoles adhuc satis cognitæ sint, & pleraque ficta, & in Democriti puteo submersa, quæ de illarum adhuc contentis atque effectibus vulgo venditantur. Insuper & dubium non est, eos ipsos nimium illis non raro tribuere, Nymphas has suas supradictum amantes.

§. XX. Licet temperatæ satis sint thermæ nostræ ac mitiores ingredientiaque, quibus gaudent innocentia adeoque naturæ humanæ optimè convenientes neque adeo magna noxa statim exinde metuenda, utpote ejusmodi vulgo habentur, quod si non profuerint, saltem non obesse ; tamen si imprudens, immoderatus & excessivus nimis sit illarum usus, & excessiva corporum impuritas adsit &c. varia incommoda causari possunt, cum & omne nimium vertatur in vitium ; hinc Helmontius inter impedimenta vitæ longioris refert frequenter thermarum usum. Plura enim vitia nimius illarum afferre potest usus, atque cum thermis & que comparatum est ac cum aliis, quæ a necessariis primum orta pervenerunt ad nimium. Ad illud declarandum paucis huc illud Hippocr. Aph. 16. Sect. 5. mihi trahere liceat. Calidum (inquit) ubi quis sèpius eo utatur, hæc mala

„mala afferat, carnium effæminationem, nervorum incontinentiam, mentis corporem. Namque balneum calidum omne frequenter & ultra modum adhibitum, præter alia magnam crudorum humorum copiam in massam sanguineam rapit ac extrahit succos laudabiles compaginemque corporis solvit. Conspicies ideo calidis balneis nimis deditos carne flaccida, colore invenusto, viribus languidis, hæmorrhagiis & deliquiis animi obnoxiis, ciborum dejecto appetitu, ut plurimum memoria debili, nervis debilitatis, spiritibus torpidis vitiatos. Atque consultius abstineant infantes teneriores, pueri & adolescentes, succorum pleni, senio confecti, constitutionis siccæ nimis homines atque calidioris, cholericae, quibus humores nimis fusi sunt, inque motu nimio constituti, maxime salino-sulphurei, summe item infirmi & imbecilles & qui animi deliquiis facile corruunt, fœminæ præsertim (minerales enim omnes aquæ ex effato Galeni manifeste exsiccant, incrassant & resolvunt) siti diurna vexati, exsangues, & qui immoderatos fluxus humorum sanguinis & seri passi sunt, sudore nimio colliquativo, tabe, heætica, lue venerea, obstructionibus contumacioribus (coagulatis & spissis nimirum nimis humoribus velut duris nodis fortiores quærendi sunt cunei) affecti, asthmate convulsivo & sicco sic dicto, valde tussientes, phthisici veri consummati (ob vapores præsertim & aërem in balneo crassum) phrenitici, maniaci, pollutione

tione nocturna, gonorrhœa virulenta laborantes, febribus acutis, contagiosis, malignis correpti, quo laudandus venit Cl. Wedel. de M. c. ext. p. 98. sentiens balneationes & grassantibus morbis epidemiis, imprimis peste, cum poros magis aperiant, contagioque faciliorem aditum concedant, minus locum habere. Thermas quoque nostras non ferunt ob odorem gravem, quem spirant sulphureum, Schafgotschianas præsertim, quibus caput & oculi infirmi sunt. Inutiles & in genere deprehenduntur in omnibus fere morbis nimis inveteratis. Interdicendæ etiam sunt impuris, non rite purgatis corporibus, quia impuritates copiosiores alicubi latitantes commoventur, excitantur, funduntur, exaltantur aliæque prius secretæ conjunguntur aut fusa in alias partes massæ sanguineæ, cerebrum & viscera principaliora deferuntur, ac febres aliaque symptomata concitant. Minus quoque e re sunt, quibus viscus aliquod nobile imbecillum est; periculum enim subest, ne humores attenuati eo detrusi inflammationes & obstrukciones & atonias pariant. Abstineant etiam potius ab usu harum aquarum thermalium ii, qui alvum nimis constipatam habent & qui viribus sunt exolutis, qui stomachi fastidio laborant, nec non vomiturientes, & biliosum eructantes, ut & quibus ex naribus fluit sanguis. Quibus vero balneum nocet, plus adhuc nocebit, si ex scaturigine evacuata prius scrobe evanuntur (aufquellen.) Potæ thermæ magis ob-

funt iis, qui venas habent angustas & parvas, longo morbo debilitatis, quibus viscera non sanata sunt aut inflamata & scirrhosa, ubi tonus viscerum penitus labefactatus, destructus, & laxatus est. Aquæ enim tunc non legitime sed languidius circulantur, stagnant, remanent, hydrozem multaque alia incommoda exinde parant. Nocent etiam in abundantia lymphæ, in stagnatione ejusdem extra vasa sua debita, imprimis si ab erosione lymphaticorum vasorum fuerit, tunc enim facile illam colluviem adaugent. In specie contraindicantur potæ in affectionibus capitis idiopathicis, maxime qui a spirituum animalium defectu, a mala conformatione, tono laxato, destruccióne vasorum & sinuum cerebri proveniunt; aquæ enim potæ vasa tenera cerebri & medullæ spinalis onere suo gravant, dilatant, premunt, laxantque magis adhuc. Vixque potus est concedendus in fluxionibus alvi variis. De stillicidio paucis adhuc nosse sufficiat, illud biliosis, calidis & siccis, & qui frequenter ex simili causa dolore capitis & oculorum laborant, fugiendum esse.



II.

Dissertatio, de Fonte Soterio Ku-
kussensi in Bojemia.

PROOEIVM.

Naturæ tria vastissima regnæ, mine-
rale, animale ac vegetabile largissi-
mum penum suppeditare, a quo
tanta medicinarum genera petuntur, a-
pud omnes in confessu quidem est, quod-
nam autem reliquis sit anteferendum,
nondum satis neque doctissimis quidem
est expeditum, licet etiam a multis emi-
nentibus in medicina viris hæc contro-
versia sit agitata diu; quippe contende-
runt inter se hæc ipsa quasi jam dudum
de principatu & adhuc forte sub judice
lis est: Minerale fortissima & validissi-
ma eaque concentrata atque quæ ob mi-
norem dosin palatui magis placent auxi-
lia atque consymbolismum, quam cum
humo, quæ ea recondit, corpus huma-
num ex humo a Deo primum creatum
habet, præ aliis jactat: Animale sua ani-
malibus rationalibus, hominibus illo-
rumque naturis ceu convenientissima

commendat: Vegetabile regnum de antiquitate, copia & abundantia imprimis gloriatur. Non dirimere jam in nos recipiamus, cui præ aliis prærogativa sit decernenda. Stet modo statque utique sua cuivis apud nos debita laus debitaque dignitas ac honor, atque omni asseveratione affirmare necesse habemus, singula singulis pereximia largiri emolumenta ac multifaria remediorum genera. Minerale equidem regnum palmam reliquis præripere ex illo videtur, quod laude præcipua digna atque quædam reliquis facile anteferenda medicamina, quicquid etiam alii in contrarium proferant, atque talia in quibus alma Natura ipsa medicinam facit, quæ divina quasi in morborum curatione præstant talesque monstrant effectus, qui ab aliis vix expectari possunt, gratis largiatur. Vel aqua simplex, dulcis, quæ ad hoc regnum pertinet, hoc nomine valde est memorabilis, quæ sola sane multas nobilissimas longè qualitates continet, ac præsertim thermæ, acidulæ & fontes soterii vix cum aliis in comparationem gloriæ referendi, cum quando alibi deficere videatur, minime

nime hic deficit Natura. Ultimum hic datur miserorum confugium , tanquam ad unicos morborum averruncos. Talia miranda & gratuita dona in generis humani salutem benignissimum in cœlis Numen per omnes Orbis terrarum partes utilissime distribuit. Regiones quoque, quas nos incolimus, quæque conterminæ sunt, ejusmodi habent, de quibus jure sibi gratulari possunt. Vicina speciatim Bohemia plures varii generis salutares fontes eosque famigeratissimos pariter ac præstantissimos monstrat. Inter hos non infimum certe locum mereatur fons Kukussenſis dictus, cuius atque eorum quæ de eo deprehendi aut deprehendere licuit, in præsentiarum qualem cunque etiam descriptionem in hac celeberrima Academia Lipſiensi, publica jam dissertatione, publici speciminiſis loco tradamus. Suadet hoc pergrata memoria, quæ nondum mihi animo excidit, cum ante aliquot annos hunc amœnum gratumque locum inviserem mihi licuit. Movet atque hortatur ad hoc maxima utilitas ejus, quam saluti hominum ultro concedit atque largitur. Quod

conamen Deus T.O.M. ex voto secundet. Benevoli vero Lectoris, qui Nymphis Kukussensibus has sacras paginas perlegere dignabitur, humanitatis erit condonare, si parum pro dignitate argumenti præstitisse videbimus, conabimur imposterum, Deo dante, ubi occasio sicutulerit, severiori novacula institutis experimentis & ulterioribus observationibus collectis, maturorem perfectioremque aliquando edere fructum. Interim hæc pauca ac levia eo utilius censeo congesta, e quibus ad ulteriora & meliora gradus fit. Cœterum quoque omnes inter se & solerteres harum rerum eximiarum censores atque scrutatores, quibus sapientius citius & facilius conceditur gratissimum hunc adire locum, hunc ipsum fontem Kukussensem jure meritoque habeant dignum, qui ulterius investigetur & amplietur emolumentaque, quæ generi humano possit afferre, sedulo perpetuis observationibus declarentur, quo me satis felicem reputabo, si aliqui ad similem sufficiendum laborem hisce pagellis extentur, qui defectum hunc sua sarciant affluentia & ego plura quoque certa, idonea & utilia tandem de eo resciam & fruar.

§. I.

Optimæ regioni, Bohemiæ Regno adeo multæ eæque pereximiæ dotes ex superabundanti Dei benignitate tributæ sunt, quæ tam provinciam quandam amœnam, lætam, gratam atque acceptam commendant & quæ ad usum commoditatemque humanæ vitæ faciunt, quam salubritatem hominibus afferunt atque conservant vitamque prorogant, ut vix aliæ alibi his pares inveniantur. Quippe Bohemia ob situm positumque altum, quem in Orbis Terrarum parte, quam nos incolimus, obtinet, ob ventos orientales & septentrionales gelidos, ac ad vitam & sanitatem omnium hominum accommodatissimos, quibus frequentissime perspiratur, atque ob aërem indeque purum, tenuem, serenum, elasticum, quo perpetuo fruuntur, ob aquas frigidas, limpidas, claras, pellucidas, dulces, spirituosas, tenues, quæ ipsi quasi domesticæ sunt, ob terram bene temperatam & in salubritatis modum comparatam, ob vegetabilia, item quæ ex hac succrescunt eaque præstantissima, nec non ob fossilia & mineralia optima ac conducibilia, ut & animalium fœcundam procreationem cœteraque, quæ in hoc genere ad conservandam hominum vitam ac integritatem præcipua sunt & necessaria, laudatissima ac saluberrima regio jure meritoque dici meretur: Quæ etiam causa est, cur Reges quondam Bohemiæ, in Hungaria & Austria de-

gentes, ægre se habuerunt semper, adeo ut ha-
 rum regionum aëris inclemensia, eas cum Bo-
 hemia permutandi necessitatem imposuerit, ut
Balbinus Miscel. R. Bohem. L. I. c. 5. habet. In
 horum beneficiorum a Deo O. M. Conditore
 Summo, Sapientissimo ac Munificentissimo, lar-
 gissimo fœnore concessorum numero ante o-
 mnia quoque numerantur thermæ, acidulæ &
 fontes soterii, quales non pauci hinc inde ibi
 inveniuntur. In sola thermarum Carolinarum
 regione & vel quatuor saltem milliarium am-
 bitu CC, fontes aciduli inveniuntur, licet vel
 tres illorum incolis accolisque noti sint usque
 probati, qui tamen inferiores viribus famige-
 ratissimo illo Egrano fonte habentur, cuius
 etiam ager in longitudinem & latitudinem lon-
 ge protensus acidularum itidem dives est, licet
 quoad saporem, vigorem atque effectum æque
 disparium. Eorundem cœnobii Tepelnensis
 regio LX. numerat. Nec penitus ille ad op-
 pidum Auschwitz, vocatum (der Stæncker) vi-
 triolo & sulphure admodum divis, celebritate
 caret. Quis est qui nesciat longe lateque cele-
 bratissimas thermas Teplicenses? Cui nomen
 aquarum hodie Bohemiæ etiam adscriptarum
 Landeckensem inauditum & beneficia, quæ
 ægrotantibus affert, ignota? Quis facile inficias
 ibit universam pene Europam, stupendum il-
 lud benedictionis divinæ opus, thermas Caro-
 linas mirari atque ad eas ex dissitis longissime
 etiam locis confugere medicinamque ab iis pe-
 tere

tere sibi maximis atque gravissimis & pertinacissimis morbis detenti ? Præter hos fontes ejusmodi soterios nominatos adeo multos, qui olim jamdum innotuerunt ac summam celebritatem hodie acquisiverunt, haud postremi juxta istos, non ita pridem inventos binos falsos, purgantes, amaricantes dictos , Sedlitzensem & Seidschützensem, admodum proficuos, quibus similes nulla unquam ætas , quod ego quidem scio , vidit , sunt quoque fons Sti Joannis , ad fines Silesiæ situs, atque Fons qui argumentum præsentis nostræ tractationis constituit Kukusensis, quem fusius paulo in sequentibus ibimus celebratum.

§. II.

Nimirum fontem, quem vocant Kukusensem soterium, Bohemiæ Regni Circulus Region Gradeziensis, ad Albis atque Orlitzæ confluentes fluvios ac in eo ditio quædam & dynastia, quæ Illustrissimo ac Excellentissimo Sacr. Rom. Imper. Comiti, Domino Francisco Antonio de Sporck, Dynastæ in Lyssa, Gradlitz & Koneged, Sacr. Cæsar. Majest. Consiliario intimo, Ejusque Cubiculi Comiti & Regio Gubernatori Supremo in Regia Sede & totius Regni Capite Pragæ, paret, Gradlitz vocata, non procul a Jaromiria, haud ignobili oppido habet, qui in regione ibi elata, montana, amœnissima, nemore amabilissimo, non nimium alto, scaturit, cui juxta hunc tota adstructarum ædium compages insidet sensimque in meridiem, do-

nec per scalas quasi fiat humilis, sese explicat, amoenissimum contemplibus præbens atque etum. Albis præterfluit fluvius, vident propcientes trans amnem ambulacrum jucundissimum, arboribus amœne virentibus consitum, quod ad cœnobium dicit, mirifice cultum atque ornatum. Interjacent prata in longitudinem maxime spatiosa, a quibus collis, qui magnificum hospitale cœnobium & templum, splendore eximio atque oblectante conspicuum, cum Mausoleo sublimis operis dignitate splendide donato, ab Ipso Illustrissimo atque Excellentissimo Domino Comiti erectum monstrat, insurgit. A tergo rursus mediocriter alti montes prominent, partim salebrosi, partim lenes & densis comati arboribus; ex quorum sinu saxoso, terreo, arenoso ac argillaceo ipsa Fontis Kukussensis scaturigo profluit ac ex alto descendit atque tribus separatis fontibus componitur, quorum alter ab oriente, alter a septentrione, tertius ab occidente uberrimis undis gelidis promanant. Confluentes omnes in unum alveum se exonerant unamque in fere hem colliguntur, qui in circulum efformatus, lapidibus erutis quadratis eleganti opere est exstructus crepidineque ferrea circumdatus, quo simul rei utilitati est prospectum; lignum enim in hunc modum adstructum aquis mineralibus non æque conducibile ac lapides observatur, quoniam ex asseribus ligneis, præcipue recentibus, aquæ plures particulas fermentescibiles

scibiles sulphureas extrahunt; hinc aqua in ligneo vase asservata brevi & ex facili corrumpitur, cum in argillaceis & vitreis longius dureret. Similem in modum compositus tegit eum superinstructus spatioſus fornix, quem subsellia circumveniunt, super quibus commode supersedere possunt potantes. Aqua ex hoc fonte per ministros hausta pone hunc fornicem, qui continet ipsum fontem, in ahenis super ferrum ignitum positis, in separata vicina ædicula coquitur & calefit, ex qua ad utrumque latus per canales ex metallo confectos ad balneariam domum calefacta deducitur. Supereminent his, super testudine nempe & balnearia domo, non adeo magnæ quidem sed concinnæ molis sacellum atque Diæta inhabitationi pro Illusterrissimo & Excellentissimo Domino Comiti accommodata. Ipsa balnearia domus in declivi locata, affabre & commodissimum in usum est exstructa, nam ad latus utrumque balnearia, quæ apodyteria labraque velis distinctis, bina ubique juncta, ut duo balneantes seorsim insidere possint, continent, sunt adstructa & operculis ligneis tecta, ne vapores exeuntes humili forte imbecilli capiti balneantium obsint. Ad singula labra per aquæ ductus canaliculosos, subterraneos, duplices & separatos tam aqua calefacta, quam frigida dicitur, ex quibus canalibus per epistomia pro lubitu utraque promi & balneum temperari potest. Medio inter hoc relieto spatioſo atrio infra hæc balnearia,

duo alia separata sunt efformata, quibus Illustrissimus Possessor ac Dominus pauperum egestati & indigentiae gratiosissime consulere voluit, his enim libera hæc gratisque relinquuntur. In hoc inferiori fornice, per cuius parietes redundans ex labris in balneario aqua defluit, in toto parietum ambitu tophi varii & maxime in conos cuspidatos efformati adhaerent, immo tota hujus circumferentia friabili & molli salina & sulphurea arena ex albo lutea ex ipsa aqua medicata separata est superinduta. In parte magis superiori hujus fornicis, flavescentes particulæ, totæ sulphureæ sublimatæ possunt abradi. Ubique vero, ubi defluit aqua, ad parietes pulvis subtilis albicans terreo-salinus deponitur. Singula conclavia ubi nimirum aqua coquitur ac dein in labra affluit & defluit, vaporosi, tenebrosi ac humidi, ad instar nebulæ sulphureo lixiviosi, odoris quid habent.

§. III.

Fontem ipsum ac domum balneariam circumveniunt non modo magnum illud diversorum, omni supellestile necessario instructum, cum popina atque caupona donata ad usum, refectionem & inhabitationem optime accommodatum, sed etiam alia, spatio quodam interjecto, pro adventantibus ædificia, cum aliis quibusdam publicis, in quibus consortia, saltationes, musici concentus aliaque, ad delectationem & corporis exercitia facientia, institui ac colligi possunt. Huic universæ rerum faciei acclivi,

clivi, declivis hortus cum ambulacris, parietibus
 viridibus, pergulis, statuis, fontanis, aquis con-
 cinne ornatus, jungitur. Inferius, qua præ-
 terfluens Albis fluvius lætaque prata patent,
 fontanis distincta, cancelli pro hastiludiis equi-
 riisque erecti sunt, nec non diæta ad varios lusus
 variamque delectationem adornata aliaque
 plurima, quæ animum oculosque delectant,
 visuntur. Nam hic eximia est varietas volu-
 ptatum, rerum omnium condimentum & quod-
 quod in aspectum atque usus hominum natura
 solet proferre, id omne huc sese magna infudit
 copia atque adeo, ut nusquam alibi ejusmodi
 invenies. Unusquisque fere sensuum hic sua
 afficitur voluptate, tantis suaviis mulcetur &
 visu irritatur ad gaudium. Hic pene omnia,
 quæ in deliciis & oblectamentis haberi solent,
 mira indulgentia Illustrissimi & Excellentissimi
 Domini Comitis indulxit. Dignatur atque adeo
 singulos, eos qui accessum & notitiam quærunt
 pro sua sorte unumquemque magna comitate
 & gratia facile admittendi, immo ultro invitani-
 di, immo tanta Illustrissimi Domini Comitis
 gratia est, ut multifaria atque amplissima acce-
 dentibus largiatur beneficia, quibus singuli ibi
 commorantes frui possunt, iis omnibus com-
 munibus factis. Si ambulationes & parva iti-
 nera instituere atque oculos animumque pasce-
 re velis, non modo tibi præsto sunt horti, fe-
 rarum vivarum eremitarumque cellulæ elegan-
 ter positæ, magnæ areæ ac singulares aucupa-
 toriæ,

toriæ, sed & in hoc loco, qui florida Thessalica
 tempe æmulatur, apertum aëris saluberrimi
 æquor panditur, eminent ex longinquo mon-
 tium editiorum vertices & jucundissimi colles,
 in quibus circumiacentium regionum ac amœ-
 næ varietatis intuitus est amœnissimus. Hic
 apricæ se offerunt valles, illic prata, variis mel-
 leorum florum coloribus roreque scintillante
 lucentia & interdistincti florentissimi campi.
 Hic segetes fluctuantes & germinantes, illic
 opacæ virentesque sylvæ, proceris & fronden-
 tibus arboribus frequentes ac nemora umbri-
 fera & grato diversarum avium oscinum cantu
 resonantia, arrident. Præ aliis autem invitant
 te ad conspectum, plausum atque adeo admir-
 ationem, cœnobium, templum, splendore ope-
 ribusque plenum, diætæ & in iis tam pulcher-
 rimæ & artificiosissimæ multifariæ, quibus de-
 corantur picturæ. Quicquid uspiam artis atque
 ingenii est, hic conspicitur ac legitur. Ubi
 enim faciem verteris ac omnia quæ opificum
 manus erexerunt, ne vel ullus sine summo in-
 genio & fructu remaneret locus, sed vividus,
 loquens & docens redderetur, sublimium atque
 ingeniosarum argutiarum, inscriptionum, sen-
 tentiarum, symbolorum depictorum atque car-
 minum, quæ ex Illustrissimi Domini Fundatoris
 & Possessoris genio & affectu, qui ad cuncta
 pietatis, prudentiæ, sapientiæ, justitiæ omnium
 que virtutum studia atque cultus fertur, fluxe-
 runt, plena sunt, sublimis sapientiæ exemplo

ini-

inimitabili propemodum docendi, mentes eri-
gendi, ad pietatis atque virtutum cultum pe-
ctora exhortandi, ad similes laudabiles motus,
monendique simul atque implendi causa, ut
spectantibus cupide vivis posterisque quasi tem-
pla atque oracula essent. Si aures delectare
velis, suaves musicos concentus, tam inter bal-
neandum, quam prandendum cœnandumque
alioque tempore non raro audies. Ad hæc ex
singulari Illustrissimi Domini Comitis liberali-
tate, quam gratiose concedere ibi ac impertiri
voluit, singulis advenis summa aucupandi, pi-
scandi, venandi facultas datur eosque libera
atque aperta theatra, quæ ludos scenicos, non
scuriles, sed modestos materiamque virtutum
tractantes atque repræsentantes quotidie publi-
cos ad vesperascente die producunt, manent.
Quid mirum igitur, cum hic secessus gratisimus
ita positus atque comparatus sit, si annuatim ex
aliis longe disfisis etiam locis, tanta amœnitate
illecti visentes accedant, mirabilem hanc rerum
faciem curiosis oculis inspiciant, commoditati-
bus & oblectamentis illis, quibus Illustrissimus
Dominus Comes gratiose hospitibus communi-
care dignatus est, fruantur, atque tam valetu-
dinem ac integritatem sibi acquirant & procu-
rent, quam & firmatis corporibus, animos simul
vegetos atque contentos reportent, atque tan-
dem, qui prium saltem erant spectatores, ama-
tores admiratoresque discedant.

§. IV.

Nomen Fonti nostro inditum esse memoratur, a portione putei fodinæ metallicæ, quam metalli fossores Kux vocant, cum quondam hictus metalli fessoribus multum negotii fecerint, aut a pago in vicinia sito quam incolæ Kuka aut Gugga vocant. Non jam quæramus longius, quando hic fons noster Kukussensis inventus sit, cum illud vel conjectura vix assenti liceat; commune enim is cum plurimis aliis hoc fatum experitur, quod de inventione illarum nulla certa notitia constet, quippe magna hac etiam in re prisorum seculorum accusatur incuria. Et licet varia de illius origine tradantur, multa tamen incerta, plura superstitionis, plurima, nostro quidem judicio, falsa sunt atque fabulosa. Hoc omnes uno ore communique assensu incolæ accolæque profitentur, quod patres ab avis, avi a proavis jam acceperint, quod casu inventio hujus fontis sit facta, & quod per experientiam atque per usum olim, quod ut plurimum fieri solet, magis magisque sit comprobatus. Cum enim primum quidam, sicut faltem explendi causa hanc aquam expeterent, unus alterque febricitantium & caloribus præter naturam æstuantium levamen & refrigerium sentiret, per tot annorum series deinceps permulti, fama, quæ sanitatem restitutam commendabat, adducti, ex vicinia accederent & tam potando quam balneando a variis subinde morbis se liberarent, factum tandem est, ut semita tota

tota ad illum fieret, ac tam ad commoditatem, quam utilitatem majorem a fundi Dominis, charitate imprimis christiana laudatisima erga egenos miserosque atque infirmos permotis, ædicula lignea est erecta atque solia & labra quædam ad balneandi commoditatem sunt addita ad structaque domicilia, usque eo dum nostris his temporibus ab Illustrissimo ac Excellentissimo Possessori Ipsi, Domino Comiti Francisco Antonio de Sporck, ad hunc splendorem hancque commoditatem est evectus atque compositus simulatque gratiose jussit, ut tam experientissimi Medici per medicationes in pluribus perinde morbis periculum facerent, quam naturam ipsam atque contenta ejus per varia experimenta indagarent, quod & ab inclyta Facultate Medica in Academia Pragensi diversisque Clarissimis Medicinæ Doctoribus dexteritate atque solertia, nec sine felici successu est suscepit atque per varias morborum historias illorumque curationes & per adeo plura retro jam lustra comprobatum. Tamdiu in cunis quasi vagiit hic fons salutaris, qui hodie magnifice jam triumphat & gloriose deprædicatur plus ultra indies evehendus. Nec morabimur in disquirendo diutius, unde hic fons suam originem sumat & per quod terræ spatium profluat atque an ex stanni fodina, quæ in vicinia reperitur, ut vulgaris opinio fert, an ex præterlabente Albi, Fluvio, quod minori quidem probabilitate quidam volunt, sit deducendus?

cendus? Nihil autem causæ est, cur longius vias quæramus, cum a tergo ad septentrionale latus adjacens mons haud obscure eas demonstret: Nam per hunc non tantum ex fastigio ejus superiori torrens delabitur, qui aquam similem vehit similemve ochram tenuem profluendo deponit, ut ideo admodum probabile sit, fontem ipsum huncque torrentem ex communi fonte originem producere, sed & dictus mons alios fontes monstrat simplicem aquam vehentes, licet ex disitis locis per hunc montem adducantur, ac ex separatis fontibus rivi promanent: Etenim verosimillimum est omnes fontes medicatos, ut acidulæ &c. etiam si etiam frigidi sunt, qui ochram quandam simul advehunt, ex pyrite sive mineris marcasitis, sulphureis & martialibus eisque aqua salina, spiritu subterraneo omnia ubique pervagante turgida, tanquam principio admodum activo armata, solutis concitatoque sub ea solutione intestino reciproco motu, actione & reactione, effervescentibus atque exardescientibus vaporesque calidos emittentibus, originem trahere, ut videamus ex sulphuris vivi pulverisati & limaturæ martis admixtione aquæque affusione intra aliquot horarum spatum, accedente præsertim aëre liberiori, ebullitionem, incandescentiam tandemque luculentam flamمام cum fumo sulphureo exoriri, qui si aut ex profundo magis & per fissuras amplioresque terræ poros ascendent, frigidos præterfluentes latices inficiunt,

aut si per magnum terræ spatum profluunt, sensit refrigescunt sensimque exsolutis penitus mineris arenam, calcem & ochram ejusmodi aquæ deponunt, quæ atque alia phœnomena vix ex alia, quam modo descripta ratione deducenda veniunt. Probabile enim hinc omnino est, inter fontes soterios, thermas, acidulas, insignem, uti vicinitatem, ita & ratione originis, ingredientium & virium convenientiam, affinitatem mutuumque consymbolismum dari.

§. V.

Evidem de copia & indole aquarum mineralium, ex terrarum stratis harum rerum periti & mineris, quæ ea componunt, haud obscura quandoque conjectura hariolantur. Hic etiam circumjecti undique montes, præsertim qui a tergo in magna fastigia attolluntur, variorum mineralium, metallorum, lapidum pretiosorum & fontium perennium, saluberrimas undas vehentium admodum divites sunt. Proximiores Fonti ipsi Kukussensi chalybem & stannum manifestis indicis monstrant, atque incolæ ac accolæ de vaporibus acidulis & sulphureis, qui saepius exspirant loquuntur, quales difflationes in ejusmodi locis, ubi thermæ, acidulæ fontesque alii salutares dantur, non raro ipsis oculis videntur odoreque percipiuntur. Testimonia Autores quoque multi afferunt e. g. Sommerus in *Descript. Thermar. Carol. p. 7. Pechlinus Lib. III. Obs. 44. de Swalbacensi tractu. Ramelovius*

in *Descript. Wildungenium aquarum &c.* ut & ubique circa metalli fodinas vapores metallici ex terra adscendentes s̄epius habentur. Supra montem ipsum Kukusensem, cui arx antiqua exstructa, fons quidam, cui nomen Herzogs- & Augustusbrunn vulgo inditum est, profundus & magno opere per rupes & saxa in strata collecta confossus, sulphur & sal quoddam cum aqua limpidissima egerit, dignus ideo, qui in majorem considerationem majoremque ad usum ducatur. Isti quoque montes vicini eorumque jugera, quæ Albim, fluvium respiciunt & versus meridiem excurrunt, per duorum milliarium terræ spatium, præcipue collem, cui adstrutum splendidum illud cœnobium est, adamantes, amethystos, granatos, carneolos, turcoides condunt, quorum mineras ibi erutas vidi, nec non hinc inde cinnabaris eruitur. Immo tota reliqua vicinia circa hunc tractum excurrens, per non unius milliaris spatium, variorum perinde mineralium vestigia prodit.

§. VI.

Sequentia vero de hoc fonte, quæ laudatissimam suam indolem, contenta, vires & usus spectant, jam constant, quæ prout vel in transitu quasi & per laboris atque temporis compendium videre, audire, scire experiri que mihi licuit. Propius accedenti ad eum, ex quo optima hauritur aqua & originem ejus curiosis oculis contemplanti animumque advertenti patescit, aquam hanc soteriam ex tribus separatis venis

venis confluere, sed quoad contenta, quæ veniunt mineralia, disparibus : Siquidem non auditu saltem, sed oculis quoque compertum est atque ex gustu judicium venit, illum fontem, ex orientali plaga promanantem, totum ad instar acidularum martialem, alterum ex occidentali, quoad hanc qualitatem priori inferiorem esse, tertium adhuc cedere secundo ; Aqua omnis confluxa & toto ex fonte scaturiens, frigida erumpit, immo frigidissima, hyeme tamen, etiam fœvissimo, circa suum ortum vix congelascens, clara & crystallina pelluciditate oculis sese ingerit. Si ex vitro in vitrum funditur vel fortiter agitatur, bullulas ad instar parvarum margaritarum subsilientes copiosissimas emittit, agminatim ex fundo ad superficiem adscendentibus vel lateribus adhaerentes conspicuntur & si per aliquot horas reponitur, ad fundum vasis sensim sensimque deponuntur, quales & in vino generoso transfuso videmus aliisque aquis salubribus & acidulis deprehendimus. Totis undis desluens ochram sat copiosam, porosæ spongiosæque substantiæ ex albicante luteæ in viis, per quas transit, relinquit.

§. VII.

Aliæ aquæ aliis ponderosiores sunt, quod particulis heterogeneis iisque crassioribus, quibus mixtæ sunt, acceptum fertur, quod *Hippocrates* indicavit Lib. de a. a. & l. dicens : Multum inter se differunt aquæ & gustu & ponde-

, re & statione & virtute aliæ aliis præstant. Aqua Kukussensis cylindri lignei ope examinata simplici fluviatili, ex præterfluente Albi desumta, satis alias levi, levior, non obstante ingredientium quantitate, quæ habet commixta, præsertim ex fonte modo hausta, deprehenditur : Nam in cylindro ligneo quinque puncta in eo notata, in aqua vero fluviatili vix quatuor apparebant & bilancis hydrometricæ suspensæ ope, libræ X. aquæ fontis drachm. 3. sem. leviores deprehensæ sunt. Causa levitatis est spiritus ille mineralis catholicus, qui aëreo æthereo elemento & elastica sua vi, sursum nitrante, aquas illas leviores reddit, de quo in sequentibus plura adducenda erunt. Hac levitate multi etiam alii alibi locorum fontes ejusmodi salutares, ut acidulæ, thermæ &c. clari sunt, alio loco adhuc nominandi. Interim fas-
tis erit quædam saltem afferre exempla v. g. H. ab Heer in spadacr. cap. VI. p. m. 47. scribit ; fontis Savenirii aquam, exhalationibus te-
„nuioribus fossilium spirituum refertam, esse
„leviorem aliis aquis & per Chemistarum orga-
„na destillatis.,, In Italia hoc charactere insi-
gniti sunt Tettuccianæ, Aponitanæ, Pisanæ,
Calderianæ, Nocerianæ aquæ ; In Gallia inve-
niuntur ejusmodi fontes, de Mans, de Capuert,
de Jonas, de St. Reyne, d'Aurevil, de Bievre, de
Chateau Goutier, de Vaujour, de Rocheponay,
de Verteric de Belesme plurimique alii in Anglia.

§. VIII.

Ex fonte hausta atque extemplo odoratu examinata aqua, nares spiritus ad instar, non nimis quidem fortis, quasi leniter pungit, immo totum caput ferit. Grato gustu linguæ sese commendat eamque suavi quadam titillatione veluti afficit, simulque odorem quendam, sulphuris adusti quid spirantem, emitit atque similem saporem si gustatur, imprimis linguæ. Hæc qui attendet, a vero longe abesse censabit, quod vulgares illi rumores afferunt, hanc aquam plane inodoram esse, aut ab aqua simplici vix differre. Ast etiamsi inodora esset, inde tamen non inferri posset, eam non esse medicatam, cum infinita exempla fontium salubrium, odoris ac saporis expertum, qui tamen magnarum virium sunt, possent adduci. Sensus hic etiam non semper satisfaciunt atque non absoluta per eos horum nobis constat natura: Ejusmodi exempla in §. XI. sequente adducenda erunt. Alibi quoque invenimus medicamenta inodora, quæ tamen ut efficacissima præscribuntur & de quorum efficacia nemo dubitat. Similis hæc inculpatio est, quam a pelluciditate falso petunt, acsi hæc omnes alias ingredientes partes excluderet, cum minus etiam respondeat calculo sententia: Nam non obstat, pellucidam aquam aliis particulis posse esse imprægnatam, modo illæ particulæ ita sint compositæ, ut globulorum cœlestium pressionem impedire possint. Rideret hos rerum

censores Ant. Lœvenhœck, qui in variis liquo-
 ribus limpidissimis & diaphanis, varias diversi
 generis, figuræ & magnitudinis particulas, mi-
 croscopiorum ope detexit. Aqua marina pel-
 lucida maxime est, quis vero negat, eam mul-
 tas continere particulas falsas? Multa dantur
 vini acetique genera, quæ summa pelluciditate
 in vitris conspicuntur, quis vero temere asse-
 veraret, eos liquores tantum simplices & aqueos
 esse? Gustui magis patefiunt quædam ejus in-
 gredientia, si enim calefacta in ore paululum
 tenetur, non modo sulphureum, sed & salinum,
 vitriolicum & martiale saporem linguæ im-
 primit. Ore hausta, ad instar aquæ simplicis,
 nullam nauseam nullumque ingratum saporem
 excitat & imprimit, sed accepta frigiditate fau-
 ces solatur totumque corpus recreat. Si ocul-
 is instillatur aqua, iis sat sensibilem punctionis
 & vellicationis sensum, cum salini principii ma-
 nifestatione, mox inducit: Ad ignem coctione
 velocius evaporatur & ut cito incalescit, ita &
 cito iterum refrigescit: A solutione aluminis
 aqua non mutatur: Solutio sacchari saturni
 vero eam turbat, particulis martialibus præci-
 pitatis & saturno a sale abrepto: Ast liquore
 alkalino instillato paulum laetescit. Si destil-
 latur etiam fortissimo igne, nihil nisi aqua sim-
 ple, parum empyreumatica alembicum ascen-
 dit: Rursus alia vice destillata & experimento
 modo consueto facto, parvæ crystallæ obtentæ
 sunt, ex capite mortuo, aqua soluto, liquor

subadstrictorius emergit: Sanguini vitulino ad-huc calenti instillata, eum non condensat, aut coagulat, sed potius diluit, subtilisat & floridum reddit: Lac vaccinum non coagulavit, sed sine notabili alteratione illud remansit. Fel bovinum sine turbatione dilutum & attenuatum reddidit: Piceam notabiliter solvit sibi que unit, adeo ut in destillatione simul adscendat, aquamque sapore tali induat, indicio incidendi & resolvendi virtute eam præditam esse: Si pisciculus aut rana recens ad fontem aquæ haustæ immittitur moxque probe vas tegitur, intra XII. minutorum & rana intra XVIII. eorundem spatium extinguitur a spiritu acido, vitriolico & sulphureo, piscibus & ranis adverso, ab hausto quo longior vero mora, eo longius vivus conservatur; si hæc animalcula, immota jacentia & morti vicina, in aquam simplicem transferuntur, reviviscere incipiunt.

§. IX.

Examine ejusmodi ulterius hujus fontis aquæ tentato, per varia experimenta physica, chymica, quæ in hoc genere præcipua sunt, per mixtionem nimirum variorum liquorum acidorum & alcalinorum, pulverum, per destillationem, digestionem, evaporationem, calcinationem tam ab aliis jam Clarissimis Viris facta, quam a me quoq; instituta, quantum mihi tunc per temporis, occasionis & loci conditionem licuit, sequentia contenta inesse constat. Scilicet hæc aqua continet spiritum mineralem subtilissimum & pe-

ne trantissimum acidulum: Hunc spiritum bululæ & perlæ in transfusione subsilentes, odor qui nares promptissime ferit, sapor suavi titillatione linguam afficiens & levitas magna, juxta alia indicia jam indicata ostendunt. Quo intimius hic spiritus subterraneus catholicus cum reliquis ingredientibus fixioribus est unitus, eo efficaciorem ipsis tribuit effectum eoque longius hæ aquæ suam retinent vim. Ad hoc argumentari licet, spiritum illum elasticum graviores quoque partes martiales, ochreas, terreas intimius aquæ unitas & sociatas servare, ex eo, quod ille ubi secesserit, brevi temporis spatio materiæ illæ graves fundum vitri, in quo detinetur aqua, petant. Juxta hunc vitriolum quoddam tenue inest, si enim miscetur ea cum pulvere gallarum statim prope fontem, pumiceum colorem induit, si aliquorsum & in vicinam modo domum defertur & reposita miscetur, color ex pallido rubescens saltem & tenuior exinde resultat: Nigricantem ab affuso spiritu nitri, ab aceto destillato subviridem, ab aqua forti subalbidum referebat colorem, ex quo vitrioli volatilioris, motibus aëris promptissime obsequentis & subtilioris oritur suspicio, si enim illud crassius fixumque foret, ad nigredinem magis, ab indito præsertim gallarum pulvere accederet. Si mixtura ex pulvere gallarum cum aqua per aliquot horas in vitro reponitur, saturatus color per gradus quasi deorsim sensim protenditur. Hoc vitriolum aëreum curiosi

riosi in capite mortuo, sive terra penitus eluta
 omnique sal sedine orbata & aëri liberiori ali-
 quandiu exposita, iterum colligunt. Tale vi-
 triolum subtile aëreum, tanquam sal mundi &
 naturæ universale & concentratum, in maximo
 pretio habetur & a chymicis inter summa arcana
 summarumq; virium habetur. Parum porro sul-
 phuris mineralis, plus minus volatilis spirat hæc
 aqua, quod non solum olfactu, tam in ipsa aqua,
 quam etiam in conclavebus, per quæ evaporat,
 percipitur. Si evaporatur, & coquitur, odorem
 penetrantem, nidorosum, sulphureum, acidu-
 lum spargit & sensim sensimque, quando in
 crassiorem massam redigitur, spadiceum colo-
 rem assumit & si gustatur, saporem ejusmodi
 falsum, sulphureum, subacrem linguæ imprimit.
 Ad hoc scire licet, exploratum esse, ubiunque
 bitumen occurrit inflammabile, ibi etiam sul-
 phur inveniri, quod bitumen ex sulphure ma-
 defacto succrescit, observante *Cardano Lib. I.*
de var. rerum C. 7. & universa illius substantia
 nihil aliud est, quam quædam sulphuris sobo-
 les, ut scite argumentatur *Baccius Lib. I. de*
therm. c. 21. Ubi etiam vitriolum subtile in
 aquis medicatis habetur, ibi etiam ordinario
 fere sulphur volatile datur, quod terram fer-
 reatam solvit intimeque cum ea se jungit, unde
 illud deinceps exsurgit. Præter hæc plus mi-
 nus volatilia principia præsto sunt etiam fixa,
 ut terra quædam tophacea & ex parte calcaria,
 quæ particulis salinis ordinario se adsociat, quæ
 vero fere tota ustione in crocum martis redi-
 gitur.

gitur. Dein affert sal quoddam, quod ad alkalinorum classem ob præpollentiam referres. Sal enim evaporatione remanens, bene dilutum & iterum evaporatum, cum acidis mixtum, conflictum edit, atque cum syropo violarum adjecto viridem colorem assumit & carbonibus carentibus injectum fluit & crepitat. Hujus salis drach. VI. cum gr. VIII. ex libr. xx. aquæ digestæ & lenissime vaporatæ recepi, quando vero forti igne coquitur, quantitas ejus decrescit, evolutis multis particulis volatilioribus, per ignis gradum volatilisatis. Ex metallorum familia luculenter & copiose se manifestant subtilissimæ, plus minusve chalybis particulæ: Nam si residuum ex destillatione & evaporatione elutritioneque relictum, ut & pulvis ille subalbidus, qui in aheni fundo, in quo aqua coquitur, residet, quique labris & viis, per quas defluit, copiose adhæret, nec non ochra, quam deponit, porosa, ignita & calcinata magnete tradantur, copiosi pili quasi ferrei illum accedunt atque adhærent, quarum subtilissimorum particularum martialium, ex data quantitate libr. xx. ad unc. unam collectæ sunt. Hæ partes ferreæ quibusvis fere aliis aquis, terris, vegetabilibus insunt, adeo ut copiosissimum præ omnibus aliis sit metallum undique quoque dispersum. Quoties enim terras, luta, ochras, tophos, argillas calcinavī & quæque vegetabilia, ligna & herbas incineravi atque concremavi magnetemque superinduxi, ferri particu-

ticulas accepi. Omnes quoque ejusmodi propemodum fontes, qui constantibus viribus sunt, ordinario ferrum aut crocum martis secum gerunt, unde & ferreatæ aut martiatæ aquæ veteribus sunt vocatæ. Immo sedimentum luteum, quod deponit aqua defluens, non est nisi subtilis quidam crocus martis, qui cum sale ammoniaco sublimatus, flores martiales luteos concedit atque appropriato menstruo v. g. Spir. vini rectif. rursus martiales tincturæ exinde parari possunt, quæ in febribus intermittentibus & stomachi infirmitatibus variis optimam præbent medicinam. Stannum atque bitumen, quæ quidam viri fide digni asserunt, me sollicitum diu tenuerunt, quoniam, iteratis etiam vicibus experimentis institutis, nil quidquam eorum invenire potui, in data nimirum aquæ, ex fonte haustæ, XX. librarum quantitate, tandem in ochra illa alba, quæ hinc inde apponitur, præsertim ad ahenum ut vocant, magno igne calcinata, contrita aquaque diluta ac rursus evaporata, in fundo vasis stannum ad drachm. sem. collectum est, alia iterum vice moleculæ hæ joviales plures obtentæ atque denuo calcinatæ & in fluorem solutæ integrum frustulum drachm. sem. pondere ostensum. Bitumen vero, etiamsi plures hinc inde varioque modo quæsivi, luculentum tamen certissimumque ejus vestigium vix assequi potui, tandem quoque in solio quodam, aqua prius tepefacta & rursus frigefacta, repleto duos saltem flocculos

los ejusmodi bituminosos innatantes conspexi.
 De his scire licet, stannum quoniam non solu-
 tum illud est & in sal quoddam conversum, uti
 omnia alia metalla, non in ipsam aquam in-
 gressum habere vel cum ea misceri, sed ob gra-
 vitateim deorsum deponi; bitumen vero, ut
 materiam unctuosam, viscidam, oleosam, sul-
 phuream, mixtionem unionemque cum aquis
 respuere, nisi aliquando longa forte subactione
 ac particularum salinarum interventu devictum,
 intimius jungatur. Atque quoniam ad instar
 aquæ simplicis fontanæ, magnis etiam haustibus
 pota aqua nostra, neque nauseam, vomitum,
 neque ardoris quendam in ventriculo sensum
 molestum, cum siti magna & anxietatibus circa
 præcordia & similia incommoda inducit, ut qui-
 dem sæpius assolent aquæ bituminosæ, præser-
 tim si cruditates biliosas in ventriculo & primis
 viis offendant, hariolari licet, perparum bitu-
 minis aquam Kukuslensem secum vehere. Per
 experimenta ab aliis egregiis viris facta quo-
 que habetur, alumen posse demonstrari. Ve-
 rum enim vero de existentia ejus hic, pace il-
 lorum, adhuc dubius sum, licet concedam il-
 lud quandoque inveniri, ubi bitumen inveni-
 tur, quoniam & ex bituminosa terra paratur:
 Nam quamvis diligentem disquisitionem ten-
 taverim, irritum tamen scrutinium fuit: atque
 v. g. præcipitatum cum oleo tartari p. d. igni-
 que impositum, neque spongiosum siebat &
 intumescebat, neque odore & sapore illud co-
 gnosci

gnosci potuerat. Circa hanc ipsam rem advertentibus animum est observare atque rescribere, oleo tartari per deliquum affusionem aquis calcariis ac salinis atque ac solutioni aluminis, album lacteum colorem inducere atque adeo aquam calcis vivæ limpidam, albam & turbidam inde evadere. Ad hoc de alumine idem dicendum est, ac de bitumine, quod aquæ aluminosæ austerritate constringendique sua vi, interno usu, neque palato arrideant, neque ventriculo admodum gratæ & conducibiles sint. Rursus mercurium atque cinnabarin inesse assertunt, sed mihi hæc nondum constant & ut verum fatear de eorum præsentia, ob prægnantes rationes, magis adhuc dubito. Non defunt qui aurum, argentum, tincturas gemmarum ipsumque auri sulphur hunc fontem vehere, affirmant; Ast ego iterum nihil horum deprehendere potui, aut ego valde cœcutio, aut manus meæ non satis oculatæ sunt, ut minus in productis hæc videant, quibus mens assentiri postulatur. Potius suspicor sane prevaricio tantum hæc esse admissa & popularia asserta, aut ab in adulationem compositione animo magis, quam veritatis amante quandoque facta, ficta atque depicta: Nam licet aliæ atque aliæ plures mineræ hinc inde circa hunc vel illum fontem medicatum in terris inveniantur, tamen non semper sequitur, omnes illas mineras simul vicinum fontem ingredi. Valet etiam hic illud Philosophorum dictum: a posse adesse non

est concludendum. Etiamsi ejusmodi nobilio-
ra principia adessent, vix ideo præstantiorem,
medico quidem intuitu, fontem pronunciarem,
cum mars, quo superbire potest, metallorum
facile sit saluberrimus, hinc aquæ ferreatæ salu-
britate aliis omnibus superiores, a curiosis plu-
rimis harum rerum censoribus habitæ sunt.
Tincturæ autem gemmarum, aut aquas difficile
& rarissime, aut forte etiam nunquam ingredi-
untur, aut ob minorem quantitatem parum fru-
ctuosæ sunt. Vitriolum etiam auri, argenti,
stanni, plumbi vix in visceribus terræ reperi-
tur. Neque nitrum verum & purum inflam-
mabile seorsim in hoc examine demonstrari po-
test, quoniam & hoc præsertim ex terra non
effoditur neque in aquis invenitur, sed potius
est sal aëreum ex pingui alkalina terra aëreque
liberiori supra terram generatum.

§. X.

Hæc qua facie deprehendere saltem mihi
licuit, his chartis consignare volui. An hæc
ingredientium proportio omni tempore ita sese
habeat, aut an secundum tempestatum aut alio-
rum accidentium, parum nobis hucusque pa-
tentium, variationes modo inter se augeatur
& minuatur, mibi nondum certo constat, cum
semel tantum, æstate sat temperata & serena
mensaque Augusto hunc celebrem locum vi-
dere & experimenta quædam, vel in transitu
& prout occasio & tempus concesserunt, insti-
tuere

tuere mihi licuerit : Admodum enim probabile est, quod hi latices a mineris, variis de causis, v. g. ventis forte in cavitatibus subterraneis &c. agitati & deflexi quandoque ex parte aliqua declinari possint & quod inconstantibus veris atque autumni tempestatibus, inconstans quoque mineralium proportio accidat, nec non aquæ pluviales vel nivales in transitu simul affluant, ut in thermis Hirschbergensibus observavi, in quibus æstatibus calidioribus & liquefactis in montibus Sudetis nivibus, aut frequentibus imbribus mineralia, in iis alias contenta, minuantur, quam alterationem & alii de aliis salutaribus fontibus, v. g. de Magnesiis Aristoteli jam notis aquis Veteres observaverunt. Sic & Sebizius de acidulis Alsatiæ refert, eas esse quandoque adeo acres, ut dysenteriam commoveant, nonnunquam adeo effœtas, ut spēratos effectus parum largiantur. Pariter H. ab Heer in Spadacr. Cap. XII. p. 108. de aqua Spadana refert, illi multum de viribus & præstantia decedere aëre pluvioso existente, immo æstate tota pluviosa, insipidam ferme redi. Job. Bauhinus de aquis medicatis Lib. I. cap. 3. scribit, fontem cui nomen Rappenzagel inditum est, nisi præcedente pluat die, superficiem albam, ad instar floris lactis habere; quod equidem non de omnibus dicendum est, cum dentur iterum causæ impedientes, contrarium statim ex modo allegato Bauhino l. c. Cap. VI. p. 6. occurrit, qui de acidulis Sti Petri

in valle Grisbacensi observavit, eas neutiquam turbari, limpidissimasque remansisse ac viribus integris, licet per plures dies copiosissime pluisset.

§. XI.

Indicatis fontis nostri soterii ingredientibus, vires, virtutes ac efficaciam ejus, nec indocta quadam conjectura assequi licet. Primum summa levitas aquæ hujus, qua aquam simplicem fontanam & fluviatilem superat, pluvialem vero aut destillatam æquat, jam bene de ea quasi sperare monet, siquidem talis aqua pota facilius citiusque per poros, vasa ac omnes ductus, etiam exilissimos, qui in quamplurimis morbis obstructi sunt & fundamentum eorum consti-
tuunt, transit. Quippe hujus eximiæ qualitatis causa præstantissima, spiritus ille summe vola-
tilis, æthereus & elasticus acidulus est, & cui primaria & hic debetur laus ac gloria, ut in plurimis, pene dixerim omnibus salutaribus fontibus, cum a reliquis sæpius ingredientibus aliis fixioribus, si quantitatem eorum æstimes, tanti effectus, qui exinde procedunt, vix spe-
randi veniant. Quare mirandum est, qui fa-
ctum sit, cur Veteres hunc spiritum in aquis non observaverint atque descripsierint. J. W. *Tabernæmontanus* quod scio primus fuit, qui utilia de hoc spiritu demum in aquis in *Hydro- graph.* p. 441. tradidit. Etenim spiritus iste per subtilissimos poros, per totum corpus ejus-
que omnes partes dispersos, in nervos usque ipsos-

ipsoisque spiritus animales immediate forte ingreditur illosque cum toto nervoso genere suavissime afficit ac stimulo quasi blande titillat, humores reliquos, sanguinem & lympham rarefacit, sive ad majorem molecularum discontinuationem allicit, circulationem adauget, spirituascentiam juvat, secretoria excretoriaque organa illorumque ductus & orificia eaque etiam minima potenter expandit, aperit & stimulat. Ut enim elasticitate sua humores expandit, ita & elaterem ac tonum solidarum omnium partium juvat & sollicitat, labefactatum erigit ac restituit & sic roboretur atque armatur motus suos, qui in systole & diastole consistunt, expeditius exercent. Hic spiritus naturale & optimum alexipharmacum constituit ac emulatur artificiali, qui ex terris & lutis chymiae ope destillatur, de quo plura praeter supra laudatum *Tabernæmontanum* legere licet in I. R. *Camerarii Memorabil. Cent. V.* p. 33. seq. *Cent. X.* p. 210. seq. *Act. Med. & Philos. Haffniens. an. 71. 72. obs. 10.* Spirituum in aquis virtutes *Helmontius in paradox. 3.* *Tackius in Phas.* aliique explicatius descripserunt, ad quos curiosi in hac re remittuntur. Principium sulphureum tenuerat volatile nervinum, anodynum atque hypnoticum, discutiens, calefaciens, exsiccans, aperiens, penetrans, digerens, putrefactioni & venenis resistens, diureticum, laxans alvum, ut & diaphoreticum est. Sal stimulat carneas, nerves, sensibilioris texturæ fibras atque membra-

branis, purgat, laxat alvum, urinam & sudorem movet, resolvit, discutit inciditque, aperit, siccatur, abstergit, secretiones & excretiones promovet & promptissime superfluos & inutiles succos ex emunctoriis secernit, exprimit & elicet, circulationem humorum expeditiorem reddit & putredini resistit, atque adeo aculeis suis, quibus donatum est, sanguinem subire cum eo que per totum corpus circumire ibique itidem difficilius progredientia impellere & movere canaliculisque adhærentia intus abradere potest. Chalybs subadstringit, roborat ejusque subtiles particulæ, per poros in fibras partium solidarum se insinuantes inibique aliquandiu hærentes, eas ad actionem illarum armant sic que totius sanguinis circuitum una cum reliquis ingredientibus promovent & augent, a balneo incandescentia & rubore totius corporis habitus, pulsu arteriarum fortiori, aut etiam, regimine debito accedente, sudore eoque copioso, cum vasis sanguiferis turgescentibus & subsequente leni siti ac ejusmodi aliis subinde phœnomenis testantibus. Huic jam suo tempore quoque fidem fecit Th. Willius in *Pharmac. rat. P. II.*
 „*Sect. II. c. 5.* scribens: se observasse, a chalybis „usu vultum faciei floridum & mensium fluxum „evenisse.., Hinc etiam hæ particulæ chalybis subtilissimæ aperiunt quod est obstructum aliquique hærentes acidos, acres & corruptos humores imbibunt, temperant, resolvunt destruntque. Tophaceæ partes siccant, roborant,

refrigerant, absorbent acidum, acrimoniam causticam, salino sulphuream temperant. Nec est cur metuas hunc tophum interno usu adeo esse suspectum atque nocivum ex eo, quod rudimenta & incrementa calculorum generationis in corpore humano constituat & addat. Per instantiam tibi dubium solvam: Nimirum dantur multi alii fontes, & calidi & frigidi, silices & tophos eosque copiosissimos deponentes, qui tamen eos, a quibus potantur, salvos atque incolumes diu & a morbis hypochondriacis, calculo, podagra &c. immunes praestant. Quon nomine in Bohemia, ne longius quæram alibi hanc probationem, ex calidis, thermæ Carolinæ sunt notissimæ. Exemplo ex frigidis saltem sint fons petrescens prope Erfordiam atque ille in Austria reperiundus, quem *Glauberus* descripsit *Tr. de Natura sal.* pag. 194. Ejusmodi aqua est, quam *Borrichius ad Barthol. Cent. IV. Epist. 92.* adducit, quæ ex specu quodam emicans, in lapideas strias concrescit, contra stranguriam tamen atque calculos accolis exploratum remedium est. Vitriolum constipat, siccatur, abstergit, roboret, consolidat, digerit, resistit vermbus: Et sic de reliquis. Nec aqua vel simplex, ab omni spirituoso principio abstracta quasi considerata, quæ quantitate reliqua contenta plus plusque superat & vehiculum reliquarum partium est, in aquam ut aijunt hac in consideratione mittenda, sed potius descendum, eam etiam maximas vires medicamentosas

rosas possidere, operationesque salutares, quas
 fontes soterii præstant, multum adjuvare:
 Quippe tam externe quam interne summa le-
 vitate, mollitie, fluxilitate, tenuitate & copia,
 qua reliqua ingredientia in his remediorum ge-
 neribus longissime antecellit, in curandis morbis
 magnum suum symbolum addit, quoniam enim
 non solum qualitatibus aliquibus, sed & maxime
 quantitate, copia ac mole sua efficax est, salia
 morbosa diluit, eluit & crassos, compactos, tar-
 tareos, viscidos humores humectat, emollit, di-
 vidit, attenuat omneque superfluum excremen-
 titum per colatoria sua foras educit, nec non
 vias simul, per quas illud ducendum, lubricat
 atque disponit, poros omnes apertos servat,
 sulphur expansivum in succis effrenum domat
 atque refrigerat, obstrunctiones referat & sanguini
 omnibusque humoribus fluxilitatem, ad vi-
 talem circulum continuandum, impertitur, se-
 cretiones & excretiones singulas facilitat, ver-
 bo, omne ea propemodum in sanandis humani
 corporis morbis punctum absolvit. Explora-
 tum est plurimos dari fontes salutares, quorum
 beneficia, quæ hominibus conferunt, aquæ sal-
 tem, simplici sed puræ, levi, tenui & spirituose,
 omni principio alio minerali & metallico omni-
 que colore, odore atque sapore experti, debent,
 quare simplices i. e. inanes has aquas censere
 simplicitatis, ingenii atque judicii esset, ut, mul-
 to & longo eximio usu probati, argumento
 sunt ex notissimis, ipsæ Teplicenses in Bohemia
 thermæ,

thermæ, Favarienses in Helvetia, Passyenses aquæ in Gallia in confiniis Lutetiæ Parisiorum, cuius examen physico - medicum invenies in Historia Academiæ Regiæ scientiarum, ac in Hassia Schlangenbadenses & famigeratissimus quondam fons Hornhusanus, de quo plura in libello ab Aulæ Casselani Medicis conscripto, *de Natura, Viribus & Uso aquarum medicatarum agri Cassellani Cap. 2.* legi possunt. His Schleusingensis (Wilhelms Brunn) in Comitatu Hennebergensi, Bebranus in Thuringiæ confinio & quidam in Sylva Hercynia prope Osterodam adscribitur. Hæc enim aqua in aliis atque aliis fontibus salutaribus purior, mollior, mitior & levior, rursus in aliis gravior & durior est, hæ illis magis repellunt hincque non raro febres, cephalalgias, sitim &c. facile accendunt & mala externa in interiora convertunt, e. g. Thermis Carolinis molliorem possident aquam Emsenses & acidulis Pyrmontanis Spadanæ, Selteranæ, Wildungenses &c. Hujus vis medicata eo modo & ex parte augetur, si aut natura in ipso naturæ elaboratorio, uti in thermis incalescat, aut demum gelida arte, ut hic fit, igne coquatur, quo intestina agitatio fortior instituitur, calore, qui partes subtilisat, exaltat & acuit, versus circumferentiam agitat & ut majus spatiū affectent cogit, sulphur magis expanditur & attenuatur, salia magis solvuntur omniaque concreta mineralia, si forte quædam insint, intimius cum ea uniuntur, & in se invicem mi-

scentur ac dein fortius & facilius quoque agitat, transit, penetrat, dividit, diluit, aperit, resolvit, humores circulantes rarefacit & expandit, materia sua aëreo ætherea, quam spargit & ad maiorem motum concitat, ac vivido suo calore & blando partes omnes humani corporis fover ac reficit vasorumque efficit dilatationem aqua ejusmodi medicata.

§. XII.

Hæc itaque & spirituosi volatiliores & subtilissimi sicci vapores ab aqua coërciti ejusque poros ingressi & fixiora, quæ aquæ tanquam vehiculo insunt, contenta, felici connubio permixta & unita, compositum quoddam constituunt, adeo a singulis constituentibus longe diversum, ut novæ aliæ ac singulares virtutes exinde emergant, quas hoc vel illud per se non possidet, cum non iisdem omnibus nec qualitas nec quantitas relativa adsit & quædam junctim quæ adsunt, ab aliis numero superentur, disjiciantur, alterentur, permutentur aut destruantur, corrigantur aut exalentur & juventur augeanturque, quemadmodum v. g. in pulvere pyrio singulæ partes ad operationem, quam edit, conferunt, sulphur nempe ad accensionem repentinam, pulvis carbonum subtilium adflammam sustentandam & ad solvendum nitrum, nitrum vero ad fortiorem accensi pulveris expansionem, quarum partium componentium neutra unum eundemque effectum edit. Sic etiam cum his & aliis medicamentorum generibus est

com-

comparatum, qualia exempla plurima eorum suggerunt e. g. nitrum, quod ex alcali & spiritu nitri producitur : Ex mercurio & sulphure fit cinnabaris ; Ex aqua forti & argento præparatur crystallus amara purgans, quæ singula producta ab ingredientium textura, viribus atque effectibus maxime dispartia sunt, de ejusmodi *Galenus de Med. Facult. Lib. II.* plura loquitur scribens : „Sunt quædam remedia specifica,“ quæ tota substantia, i. e. non juxta certas suas partes, sed quatenus hæ partes totum quod-dam constituunt, agunt; & B. *Ettmüllerus vid.* „*Oper. Med. T. II. p. 1907.* eundem propemodum in modum idem affert, inquiens : „Sicut“ videmus in antimonio, cuius neque substantia“ acida neque alkalina separata, sed ambæ saltem“ combinatæ catharticæ sunt.“ Ac si conjectura, haud tamen inanis, a priori valeat, aquæ hæ compositæ possident diluendi, emolliendi, relaxandi, leniendi, refrigerandi, absorbendi, roborandi, consolidandi, attenuandi, resolvendi, penetrandi abstergendique, aperiendi, fovendi, impellendi, temperandi, digerendi, repurgandi & a putredine præservandi dotes, qui adjuvantur augenturque, si aqua rite ad ignem calefit ac hoc pacto ad contentorum actuacionem disponitur. Si ad hanc a priori cognitionem, ea etiam a posteriori sive experientia, quæ omnium rerum magistra, accedit, certum aliquid demum est determinandum, ita, ut ex effectibus potius, quam ex mineralibus, vires hujus vel illius aquæ, tanquam ex fructibus arbores cognoscantur.

tur. Scite hoc monet *Galenus Lib. V. de Sanit. tuenda & confirmat Hæferus in Hercule medico T. I. p. 345.* scribens : „De aquarum mineralium medicatarum qualitatibus temere non „est judicandum, si enim videmus, tales aquas „constare v. g. ex alumine, sulphure, marte, „nitro &c. non statim pronunciandum, ergo „eas habent virtutes, quibus constant mineralibus. Nec ab eo multum abludit *Lentilius*, longo harum rerum usu peritissimus. *vid. M. N. C. D. II. an. 5. obs. 201. p. 406. seq.* quando dicit : „Firmiter persuasus sum, virtutes omnium „aquarum soteriarum nos non nisi a posteriore „ri, nunquam a priori indagare posse & cognoscere, scire nos quod agant, nescire, quomodo & quibus ex principiis, illas sese habere ad instar panaceæ, quin agere ejusmodi qualitatibus, quæ, hactenus ad minimum, sunt occultæ. Quin immo *A. Libavius de Nat. metall. p. 93.* memorat, dari aquas, ollas lapidesque corrodentes & earum vapores mentem eripientes, nihilominus tamen salubrem medicinam præbentes : Simile tale *Gæbelius de aquis Wolkensteinensibus* recenset. Re ita se habente, utroque scrutinio sedulo inhæreant Medici, qui tales curas cum fructu salutari atque optatu subsequentे suadere ac dirigere debent, ut exacta jam cognitione, juxta perfectam non superficiariam historiæ morborum notitiam instructi sint, qui ex collatione naturæ viriumque aquarum mineralium ægrorumque constitutio-

nis ac morborum quibus detinentur, possint di-
judicare ac enunciare, in quibus casibus ac quo
exhibendi modo conveniat usus, in quibus ve-
ro minus.

§. XIII.

Jam jamque ex universalibus adductis colli-
gendum & ex multiplici experientia probatum
fontis soterii Kukussensis usum tradam & emo-
lumenta, quæ, si rite debiteque adhibeatur,
corpori humano in integra sanitate ejusdem
conservanda atque in vitiis maxime illius cor-
rigendis, potest afferre, indicabo. In hoc na-
turaliter constituto, omnia redeunt in circu-
lum : Sanguinis cursu pulsant arteriæ, quem,
sepositis in partibus nutritiis particulis, refluxum
revehunt venæ; Humores, ex multiplicibus ar-
teriarum poris in fibrosos tubulos depositi, in
lympham abeuntes redduntur vasis lymphati-
cis; Laetitia lacteum chylum, in ventriculo &
intestinis elaboratum atque perfectum, afferunt,
ac sic omnes liquores corporis animalis per par-
tes solidas, justa consistentia ac elasticitate, tex-
tura justoque tono gaudentes, i. e. non nimis
relaxatas ac imbecilles neque nimis rigidas ac
insensiles difficilesque ad actionem debitam, ju-
giter ac continuo feruntur. Spiritus animales
per nervos adfluentes intimos partium recessus
pervadunt &c. Harum partium itus redditus-
que si impediatur obexque imponatur, sistatur
aut pervertatur, innumera exsurgunt in corpore
mala : Quo propius humorum principia ad ex-
actum

actum æquilibrium accedunt, eo diuturnior erit
machina, eoque magis sanum humanum corpus;
quo potentius vero unum elementum prævalet
cœteris, eo citior erit hominis ad interitum
cursus. Crassæ, viscidæ, pituitosæ, tenaces,
lentæ, acerbæ, austerae atque tartareae sordes
humoribus laudabilibus permixtæ, partium po-
ros & fistulas obturant, obstrukiones fiunt &
stagnationes lymphæque maxime redeunti in-
tercipitur via, unde vario modo corpus ejus-
que partes gravantur & cachexia nascitur: Si
falsi, acidi, acres humores nervosas, membra-
naceas, summe sensibiles partes pungunt & vel-
licant, sensum molestissimum neque non raro
ferendos dolores hinc inde efficiunt, spasmos
& motus convulsivos producunt; Si colligun-
tur hic aut alibi corrosivi magis malignique hu-
mores, carnes depascuntur; Si crudeles illi tor-
tores corporis membra contorquent, contra-
eturæ remanent ac si penitus interclusis viis
etiam spiritus animales arceantur, motus im-
potentia, paralyses &c. relinquuntur, e. s. p. His
atque aliis morbificis causis exindeque depen-
dentibus morbis, fons Kukussensis egregia est
medicina, tam curando, quam præservando.

§. XIV.

Hæc vero therapiæ puncta evacuatoria lau-
dabiliter & manifeste explet, fons præsens va-
rio modo adhibitus. Nimirum & præsertim
interne operationes suas, quæ cuivis modo in
oculos

oculos incurruunt, præcipue & ordinario quidem per transpirationem, per poros cutis & quandoque per salivationem, nec non vomitum, sine omni humorum perturbatione ac virium deperditione & externe per sudorem ut & lotii proritationem exerit, plurimos eorum effetus, speciatim diuresin nominatam, per notabile temporis spatium, in seram usque noctem, immo non raro ad alterum diem mane, aqua pota sæpius extendit. Juxta hæc summa evacuationis genera, non minus alterum curationis scopum, quem alteratorium vocant, egregie etiam fons noster utroque adhibito modo explet; siquidem illas in antecedenti §. XII. descriptas facultates, a priori posteriorique perspectas, possidet. Nec balneum derivatorio revulso-rioq; usu destituitur, quando enim corpus ad scapulas vel ad collum mentumq; immergitur, materia forte peccans in parte superiori, capite &c. hærens & humores circulantes, emollitis, relaxatis ac bene præparatis inferioribus partibus & viis, deorsum magis tendunt & onus, quo illi premuntur, alleviatur & amovetur ac circulatio per omnes partes instauratur. Hunc balnei finem præsertim Galli hodie spectant ac laudant & in plurimis capitibus morbis, in §. seq. nominandis, commendant, cuius vestigia jam apud veteres existant, de quibus legantur A. Trallianus Lib. I. p. 107. Aretæus Lib. VII. p. 134. Cœl. Aurel. Lib. I. morb. chron. p. 335. Prosp. Albin. M. Ægypt. p. 115. Immo curiosum atque notabile plurimisque aliis thermis & fontibus
salu-

salutaribus, intus extusque usurpati quoque
 commune est, quod ferme omnibus tempera-
 mentis, calidis, siccis, humidis convenient: Nam
 poros aperiendo & transpirationem liberiorem
 adjuvando sique evaporando & ventilando
 sulphureas partes, calores suscitantes nimium,
 ejiciunt adeoque præcalida temperamenta tem-
 perant, humidis plus justo, calore, qui in hu-
 mores semper agit resolvendo & abigendo, suc-
 currunt, frigida nimis, calore fovent, sicca vero
 humectant & emolliunt aquæ copia & mora.
 Ideo etiam contrariis affectibus per eorum usum
 prospicere utilissime ac secure quandoque pos-
 sumus, excretiones nimirum quasdam imminu-
 tas atque deficientes promoveri & restituiri, ni-
 mias vero sisti experimur. *Galenus* hoc testa-
 tur, qui in *lib. de marasmo* dicit: „Hoc ha-
 bent mirabile balnea, quod caliditates & fri-
 giddates & siccitates juvent: quemadmodum
 & hoc, quod non sipientibus sicuti accendant
 eandemque sipientibus tollant. Et in 3. *Lib. de*
 „*offic. Med.* Fere mortuos, inquiens, illuc pro-
 fectos calefaciunt balnea, etiamsi valde frigefati
 fuerint, exustos vero atque incensos non læ-
 dunt. Et quamvis balneum externum remedii
 genus sit adeoque externe saltem operari vi-
 deatur, longius tamen ejusdem operatio certis-
 ime extenditur atque internis etiam medetur
 malis emolliendi relaxandiisque virtute & pene-
 trantia sua mole, densitate ac pondere, undi-
 que nitente indeque compressione cutis, mu-

scu-

sculorum, vasorum reliquorumque organorum impulsuque in humores per glandulas & poros excretorios, cum circulationis sanguinis promotione atque augmento, longe etiam a balnei tempore durante hincque viscidarum particularum dissolutione meatuum, etiam exiliorum, apertione, obstructionum reseratione relaxationeque totius corporis habitus, quo simul humores apti redduntur, ut per secretoria & excretoria vascula & instrumenta eo melius faciliusque trajici possint. Hinc & per plures horas habitus corporis valde inturgescit, facies florido calore tingitur, colore quasi scintillante suffunditur, immo, si paulo calidius fuerit aut longius protractum balneum, phlogoses adscendunt atque sudor copiosus, si præcipue in lecto requiescant & bono quidem indicio boni effectus profluit. Ad relaxatum enim corporis habitum & ad meatus tenuiores apertos & pervios sanguinis ad ambitum corporis, liberius instituitur circulatio & superfluarum exclusio. Ut pluribus jam non attingam experimentisque comprobem, aquam vi sua medicata per ipsos cutis poros laxatos ad intimiores totius compagis recessus pertransire tepentem & præser-tim vigente calore adhuc attenuatam, magis mobilem & penetrantem redditam, sine perspirationis, quam multi sine causa satis prægnante metuunt imminutione, cum halitus etiam per aquæ poros facile transire queant, quam rem multi effectus ex balneis provenientibus testa-

tam faciunt. Nimirum a balneo subinde eosdem propemodum deprehendimus effectus in partibus interioribus, v. g. violentæ constrictio-
nis, membranosarum maxime partium inter-
narum, relaxationem, dolorum sedationem, cal-
culi vesicæ & renum &c. secessionem, conge-
stionum gravantium allevamentum, in frigida-
tionis sensus ablationem &c. ac quidem in ex-
terioribus membris. Insuper & conferri pos-
sunt præ aliis *Sanctorius in Sect. II. de Aere & aquis*, & *D. Bellini de Sangu. miss. p. 146. seq.*
Præter hanc balnei operationem, corpus imme-
diate magis afficientem, adhuc quædam alia
emergit, quæ a vaporibus humidis, aqua medi-
cata ac calefacta exhalantibus, procedit, qui to-
tum balnearium replent, caput feriunt ipsumque
in os & nares se insinuant.

§. XV.

Multiplici autem modo aqua nostra saluta-
ris, ut pluribus aliis fontibus salutaribus solen-
ne est, adhibetur, balneo autem primario ac
potu & juxta hos primarios maxime modos,
aliis quoq; balnei particularis externi speciebus.
In his subjectis, in his affectibus externus usus, in
aliis internus magis, in quam plurimis uterq; ex-
petitur. Frequentius hodie balneum frequenta-
tur, quod etiam commodissimum, ut & descriptio
ne jam dum superius data non ignotum est, ut
nunquam alibi facile commodius inveniatur.
Quare & primum de illo agamus atque ejusdem
effica-

efficaciam & medium adhibendi lusremus. Quemadmodum balnea in genere, uti Medicī communi assensione profitentur, ita & hoc, præsertim in morbis ab acido viscido, ab ob- structionibus iisque inveteratis & pertinacibus, a spasmis atque stricturis, congestionibus & sta- gnationibus humorum, lymphæ maxime, ori- undis & ubi tam externa quam interna corpo- ris frigent, & ubi ab impuris etiam subtilibus acribus itinno virulentis fordibus humores sunt inquinati, utilissimum ac efficacissimum est re- medii genus, siquidem experientia multiplici est comprobatum, ut & experientissimi Medicī & Practici Bohemici æque ac Silesiaci testantur, ac variis a se curatorum historiis adducunt at- que describunt. Nimirum primo eos affectus hic seorsim transcribere haud inutile erit, in quibus maxime comprobatum balneum calidum fuit, quorum prima series sit eorum, qui tota occupant corpora, quibus per balneum cura- tione prospicitur, qualesque sunt febres inter- mittentes, quotidianæ, tertianæ, quartanæ, qua- rum tempora a paroxysmis vacua hæc quoque medicationum genera admittunt. Nondum apud omnes in confessio est, an etiam ejusmodi balnea tepida aliis febribus, ut continuis &c. quadrent: Si aliquid hic decernere foret, pu- tarem, balneum in ejusmodi neque periculo- sum neque inutile esse, quoniam corrupti hu- mores, qui causæ febrium sunt, per relaxatos cutis poros & per diaphoresin auctam, præser-

rim si ante insessum debita febribus hujusmodi
 quedam medicamenta propinentur, commo-
 diissime expurgantur. Ut constat ex *Hippocra-*
te, Celso, Galeno, Alexandro Tralliano, quod
 veteres balnea tepida non solum in intermit-
 tentibus, sed & aliis, continuis atque adeo in
 putridis successu adhibuerint. Legimus idem
 apud *Prosp. Alpinum de Med. Ægypt.* Amicus
 quidam & non ignobilis in Medicina Practicus
 Silesius, mihi per litteras significavit, quod ipse
 hujus balnei ope a febre purpurata contuma-
 cissima feliciter fuerit liberatus. Ad hoc nota-
 bile est quod refert *Galenus lib. V. de Sanitate.*
 de Primigene, Philosopho, qui, qua die non
 lavisset, febricitabat. Post febres hoc nomine
 nobis patescunt scorbutica humorum impuritas,
 tam calida quam sicca sic dicta, atrophia, cache-
 xia, resolutiones nervorum eorumque disten-
 siones sive spasmi rigoresque atque adeo par-
 tium convulsiones. Secunda series complecti-
 tur capitis ejusque partium quosdam morbos,
 quos sympathicos vocant, debilitates atque do-
 lores, hemicraniam præsertim ejusmodi, quæ
 inferiorum partium vitio fieri solent. Huc
 quadrat *Hippocratis aph. 22. Sect. V.* calida aqua
 „cutem emollit, attenuat, dolores eximit, rigo-
 „res, convulsiones, distensiones mitigat, capi-
 „tisque gravitatem solvit... Idem dicere pos-
 sum de epilepsia extra quidem paroxysmum v.
 g. a mensibus obstructis oborta, quod medica-
 tionis genus in hoc casu expertissimum jam ha-
 buit

buit Alex. Trallianus vid. lib. I. p. 75. Porro memoriam debilitatem nominare hic licet, quam divertendo præcipue juvare potest, & tristitiam, melancholiam, si ex vitio hypochondriorum & spasmodis in ventre sit & forsan alia ejusmodi quædam mala, in quibus mens errat, maniam, cupidineos affectus varios depravatos, furem, qui a morsu rabiosi canis infertur, commode enim subtile virus ad corporis peripheriam adducitur atque educitur, ideo hos ægros Celsus vid. lib. V. C. 27. in aquam calidam demittere jussit. Amplius passionem hystericalm, incubum, vertiginem, oculorum vitia, inter quæ præsertim lippitudo, ophthalmia, immo ipsa cœcitas, quarum etiam contumacissimæ balneando abiguntur. Quo spectat Hippocratis aph. 31. Sect. VI. oculorum dolores vinum & balneum solvit... Sequuntur catarrhi, aurium dolores & effluxiones, parotis, auditus difficilis, odontalgiæ. Præservatione magis inservit & longe ante ipsos paroxysmos, nedum imminentibus iis, (alias major noxa inducitur) affectibus soporosis, lethargo, caro, catalepsi, comati, morbo comitali & attonito. In tertia numerasse faucium tonsillarumque tumores ac columellæ laxationem variasve alias ex glandulis obstructis constipations, sufficiat. Quo in loco seorsim nullus dubito affirmare, quin in anginæ decremento eoque in suppurationem tendente, tuto balneum adhiberi queat. Quarta de pectoris, pulmonum cordisque morbis lo-

quitur, ad quorum equidem non tam curationem, quam præservationem, præmissis præmittendis, temperando, resolvendo educendoque juvare quandoque potest balneum. Plurima inferioris ventris vitia & quæ hic quintam constituunt classem, sunt, quibus hoc modo medetur, ut ventriculi imbecillitatibus, in quibus frigiditatem subesse vulgo dicitur, ciborum fastidio ut & appetitui penitus prostrato, de quo varias habeo easque singulares observationes aliisque multis ejusdem vitiis, nauseæ, vomitui, singultui, colicæ & quidem convulsivæ, obstructionibus & tumoribus viscerum, hepatis, vesiculæ felleæ, lienis, mesenterii, in sequentibus inflammationibus, immo ipsis illorum scirrhescientiis incipientibus, hydropi, anasarcae, præsertim inflammationibus ventris : Sigillatim dicendum est, hypochondriacum, gravissimum illud nostraque ætate familiarissimum hominibus, speciatim vitam sedentariam & speculativam agentibus, malum, præstantissimum in nostro fonte invenire levamen, ideo in Silesia, quod scio, admodum famigeratissimum est & adhuc non paucos ea alit alumnos, ex usu hujus fontis ab hoc molestissimo & variis iisque gravissimis symptomatibus, per longum tempus & sine intermissione afflidente, Medicosque mirum in modum fatigante ac omnia medicinæ genera eludente malo feliciter liberatos; nec nullus dubito Bohemiam non minorem eorum numerum numerare. Perinde eximie valet in alvi ob-

obstructione pertinaci, iliaca passione, vermis, tenesmo & peritonæi doloribus, hæmorrhoidum obstructione & ex hac dependentibus pathematibus, fistulis ani recentibus, difficultate & suppressione urinæ, mensium impedito & dolorifico negotio, obstructione pertinacissima aliisque uteri vitiis, fluore muliebri &c. Dolores a calculis tam renum, quam vesicæ ut & alias cavitates, ut folliculum fellis &c. occupantibus, potenter lenit, spasmos exinde eductos sedat & calculorum educationem facilitat. Præsertim sterilitati mulierum hunc fontem unice quasi dicatum esse videtur, adeo ut nullus dubitem affirmare, quod is alteri Bohemæ fonti, Landeccensi, haud secundus hac eximia dote censendus, si non anteferendus sit, cuius tamen ideo magna laudatio atque commendatio est. Nec a vero multum aberraverim, si confidens affirmem, nostras nymphas Sinuesianis in Campania & nitrosis in agro Volaterano aut Thespianum fontis in Bœotia & elati fluminis aut ipsius Nili aquis similibusque aliis, ob fœcunditatis, quam conciliant, quandam laudem celebratissimis, quarum plures Plinio innotuerunt, merito æquiparandas esse. Per multa certe prostant exempla fœminarum, per X. XII. XIV. annos in sterili matrimonio vixisse & per hujus fontis usum voti sui compotes factas fuisse, ut mihi nota quedam est Silesiaca, quæ post X. annorum decursum demum per hoc auxilii genus grava facta. Si balneo potus aquæ hic jun-

gitur, spes eo certior redit. Operationis ratio
 comparet, quæ quidem ex parte in roborando,
 maxime vero sæpius in relaxando strictiores
 atque arctiores factas, gestationi destinatas par-
 tes & repurgando eas ab inhærentibus fœcu-
 lentiis consistit : “Quæ enim frigidos & densos
 „habent uteros non concipiunt, neque quæ
 „prætumidos habent, siquidem in iis semen ex-
 „tinguitur.” *Hippocrat. S. V. aph. 62.* inquit.
 Nec dubium est, quin & impotentiam virilem,
 partibus omnibus genitalibus justum tonum,
 amplificationem, permeabilitatem & aperturam
 conciliando, ut spermatis justa quoque elabo-
 ratio, depositio & tandem ejaculatio institui
 possit, corrigere valeat, quemadmodum constat
 alios huc facientes defectus eum emendare : v.
 g. genituræ involuntariam in viris genituras
 compescere. Porro in arthritide vaga pariter
 ac fixa aliisque ejusmodi articulorum vitiis uti-
 liissimum deprehensum est. In lassitudine ar-
 tuum & eorundem atonia, malo ischiadicō, rheu-
 matismo, a frigore aëris læsionibus, atrophia, con-
 tabescientia, contracturis, rigiditatibus atque in
 iis, quibus cutis exposita est, nimirum in ictero,
 scabie fœta & inveterata, impetigine, psora, vi-
 tilagine, in similibus aliis ejusmodi speciebus
 laudatissime se gerit. Similiter leucophlegma-
 riā atque omnes fœdos ac luridos virginum
 colores aufert. Pari modo vulnera & exulce-
 rationes abstergit, repurgat ac consolidat, ab-
 fcessus, tumores & apostemata, non modo ex-
 terna,

terna, sed & interna, hic inde etiam e. g. in re-
nibus & vesica collecta maturat, emollit, aperit
& per proximas expeditiores naturæ vias edu-
cit, sanguinem congrumatum in interioribus
resolvit, lœsionesque alias sanat, in fracturis calli
generationem promovet & membra ab iis, ut
& dislocatione debilitata firmat, in ulceribus
crurum antiquis, immo cancrofis atque malignis
balneum conducit apprime. In his præsertim
humani corporis morbis usu jam fons noster
multiplici probatus est, de quibus curationibus
historiæ & exempla notabilia & ampla quis le-
gere potest, in *Clariss. D. D. C. V. Kircbmeyeri de Reichwitz*, & *D. D. C. J. Langii libellis*, quos
de virtutibus hujus fontis concinne conscripse-
runt. Præter hos recensitos morbos, quorum
jam nymphæ Kukussenses celebrantur viðtrices,
superfunt forsitan adhuc alia nondum nominata
mala, quæ abigere possent, si periculum quis fa-
cere vellet, sperandumque est fore, ut ejus usus
in annos amplietur, qui seris venit ab annis,
communem enim etiam hoc remedii genus cum
aliis fatum experitur, ut casu & fato inventum,
sola ut plurimum experientia, immo erroribus
sit ampliatum.

§. XVI.

Quemadmodum morbos sic balneum curat,
ita & a longis, gravibus & pertinacibus morbis,
v. g. phthisi, febre tertiana & quartana, gonor-
rhœa vera, dysenteria, enormi hæmorrhagia, ut
& febribus malignis, utpote qui morbi, licet

curati longas tamen molestias & languores relinquunt, exantlatos, debilitatos & adhuc infirmos in convalescentia statu constitutos, ut & e puerperio egressas fœminas optime juvat & efficit, ut pristinæ vires citius restituantur, citius appetitus dejectus redeat, digestio ciborum facilius instituatur, nutritio melius succedat, recidiva & alia accidentia familiaria, ut tumores pedum œdematosi, cum aliis multis morbis, quibus convalescentes a morbis obnoxii sunt, præcaveantur sique restitutio in integrum adornetur. Nimirum tunc reliqui lentes sunt attenuandi, calor naturalis animalis fuscitandus, sanguificatio & boni novi sanguinis elaboratio, influxus, & spirituum animalium nova generatio & atonia, partibus solidis inducta, emendanda ac partes roborandæ, quæ beneficia omnia balneum certissime promittit. Si & recte valentibus quandoque semel, bis ac ter, in septimana tepidum, vel etiam saltem frigidum balneum ingredi volupe sit, non a scopo aberrabunt, sed evexiam corporis conciliabunt, & sanitatem diu conservabunt atque longævitatem comparabunt sibi; Exempli loco saltem sistem ex Galeni lib. V. de sanit. tuend. Telephum, Grammaticum, qui ultra centum annos, sensibus illæsis, membris validis & inculpata omnino sanitatem per frequentes balneationes vixit. Balnea enim quævis temperata, lenientia, lubrificantia, emollientia vel ex simplici aqua parata, inter optima, sanitatem ac vitam prorogantia media

media & remedia merito repono, quoniam non modo nativus calor foveatur, conservatur atque firmatur, sed & per ea fibrarum & membranarum nimia ariditas & exsiccatio, soliditas & durities atque canarium omnium angustia, que cum crescentibus annis consistenteque ætate atque appropinquante senio, sensim sensimque inducuntur & humorum circulationi, secretinibus atque influxui laudabilem liquidorum ad motum & nutritionem necessiorum, in quibus vitae & sanitatis punctum ponitur omne, remoram injiciunt, ex quo, ut in confecho senio accedit, itus redditusq; humorum lentior difficiliorque redditur, vires subinde absuntur, morsque naturalis, ultima linea rerum, presso quasi pede insequitur, avertuntur; balnea vero modica, emollitione & lubricatione, quam partibus solidis earumque elateri præstant, eas in justa mollitie & flexilitate & laxitate, justa soliditate, capacitate justoque tono ac impulsu diutius omnium conservant, ut juvamento sint circulantibus fluidis, simulque efficiunt, ut ea rursus moderato debitoque imperu, velocitate, tenuitate naturali protracta omnique præternaturali acrimonia & crassitie exuta, & morbosæ ariditates, tensiones & crispaturæ in solidis præcaveantur. Cujus rei non ignari primi Medicinæ parentes nihil magis in morborum curatione pariter ac præservatione quam balnea, fatus, lotiones, unctiones & frictiones & omnis generis exercitationes proponebant. Nec aliud

sentiit ac scripsit Beganus Gallus in libello Anno MCDXVI edito de arte bis juvenescendi : nam juxta juvenum consuetudinem quotidiana balnea tepida , cum lenibus frictionibus & inunctionibus nervinis circa articulos pro tali scopo præsertim commendavit , ut nimirum articuli roborentur, musculi flexiles redderentur, cutis emolliatur, pori ejus aperiantur & perspiratio intendatur. Nec inutiliter gravidæ circa ultimos menses balneum hoc tepidum moderate aliquot per septimanas vicibus ingrediuntur, quo fœtum roborabunt atque præparando, emolliendo & lubricando vias, partui destinatas , facilem & felicem enixum futurum sibi promittere poterunt.

§. XVII.

Balneum hocce haud absimili modo ac alia ejusmodi adhibetur. Quemadmodum autem ea, passim usu aliquo commendabilium rerum, est conditio , præsertim quæ qualitate eximia præpollent, quovis modo etiam adhibeantur, si non legitima accedit administratio certusque utendi modus, aut sine sperata utilitate usurpentur, aut noxam inferant ; rursus autem si ordo, modus, tempus & præparatio rite observentur, optatum successum certius polliceantur : Ita & nostræ aquæ soteriæ ex eorum censu plane eximendæ non sunt. Nimirum quod balneum quidem hic concernit calefactum & convenientissime præparatum, corpus ad collum

lum usque & mentum potest immergi & sub-
 inde addita aqua calida calor augeri & semper
 ita pro lubitu frigida calidaque ex epistomio
 emissâ temperari, ut cuivis conveniens sit, quæ
 temperatio & ad frigidum potius, quam cali-
 dum inclinans, a juvenibus præcipue & pletho-
 ricis circumspete observari debet, ne febris
 forte accendatur, animi deliquium, dolores
 capitis, immo funesta in cerebro pathemata,
 apoplexia, affectus soporosi, propter magnam
 ibi vasorum copiam minoremque resistantiam,
 aut alia quædam incommoda, fitis, spirandi dif-
 ficultas, vigiliæ, hæmorrhagiæ, catarrhi, rheu-
 matismi & sudores præternaturales &c. indu-
 cantur. Atque ita hunc modum servent bal-
 neantes, ut primis diebus per semihoram inibi
 saltem commorentur, sequentibus ad horam
 integrum & ultra, donec demum ad duas usque
 ascendant. Pariter primis diebus una tantum
 vice, matutinis aut vespertinis horis & levato
 prius naturæ onere, sequentibus duabus vici-
 bus, mane nimirum ac vesperi balneum repe-
 tant, si indoles morbi aut pertinacia ejus id exi-
 gat, secundum enim illud duro durus etiam
 hic quærendus cuneus est hicque illum trudat.
 Hæc si præstiterit ratio & si hæc temperatio
 hicque levis tepor bene observetur, omnis æ-
 tatis, sexus, conditionis aut constitutionis ho-
 minibus sine metuenda noxa quadrabit. At-
 tendendum nihilominus tamen est, an æger
 alias sanus asuetus balneis fuerit, & an bene il-
 lud

lud ferre possit? quæ conditionis moram in
 balneo aut breviorem aut longiorem determi-
 nant. Non statim a meridie & prandio bal-
 neum ingrediantur, sed digestione fere abso-
 luta, tertia aut quarta a pastu hora. Consul-
 tum tamen, immo necessarium est, ne forte in-
 ter alia incommoda, secundum *Galeni* effatum
 V. de sanit. & III. de rat. viet. membris affectis
 fluxio concitetur, ut ante ineundam curam,
 corpus prius bene, præcipue in cacoehymicis
 præparetur, alvum per consueta medicamenta
 laxando & purgando, iteratis etiam vicibus, per
 leniora saltem, ut aloëtica, rhabarbarina, salia
 detergentia, sal Epsoniense, vel quam ipsa Bo-
 jemica terra offert, aquam amaricantem Sedli-
 censem ejusque sal evaporatione obtentum, ut
 & illud quod ex thermis Carolinis ac acidulis
 Egranicis præparatur. Pariter vesica exonere-
 tur urinaria per diuretica salina usualia, e. g. liq.
 terr. fol. tart. salia alia nitrofa & lixivialia, sal
 onon. absinth. stip. fabar. &c. ut per tinct. tart.
 acr. &c. & si præsertim status plethoricus adsit,
 venam secando, ne forte balneum calidum hu-
 morem nimis expandendo vasaque nimis dila-
 tando, eorum ruptionem aut ad minimum an-
 xiitates præcordiales, anhelitum molestissimum,
 phlogosæ &c. inferat. Balneum sensibili mo-
 do alvi laxationem & diuresin promover, nam
 si per aliquod tempus, ad horam v. g. saltem
 insederint, protinus ad vesicam levandam &
 brevi post balneum tempore ad alvum depo-
 nen-

nendum, ut plurimum solicitantur. Qui nimis
am balneando corporis incalescentiam metuunt,
aut qui diuresin alvique laxationem adjuvare
velint, ante balnei hujus usum, cyathum unum
aut alterum aquæ ipsius fontis frigidæ hauriat,
quod haud absolum esse, etiam de thermis
Hirschbergensibus observavi. Non nimis diu
balneo calido insideant, ne virium debilitas
contingat. Balneo egressi summo studio ab
aëre ambiente frigiduscule se muniant, indu-
endo statim indusia calida & vestes, ne pori mox
ab eo claudantur incommodaque multa indu-
cantur. In cubiculum suum regressi, commo-
dius per horam quieti se dent, aut etiam levi
cubatu dormiant simulque transpirationem &
lenem sudorem exspectent, qui ordinario tunc
largius succedit, quam in ipso balneo; nam cir-
cumfusæ corpori in balneo aquæ gravitate va-
pores per spiracula cutis exituri quodammodo
reprimuntur; hac autem remota in lecto expan-
sis magis tubulis per universum corpus jugiter
magisque sudor prorumpit, quem juscum
calidum aut decoctum conveniens assumtum
utiliter adhuc juvabit. Hoc tamen commune
plethoricis incommodum est, quo caput offen-
ditur & temulenti torpidique redduntur, si
sive balneis artificialibus, sive naturalibus usi
fuerint, sive etiam pransi modo sint, si dormi-
ant etiam in sella saltem sedentes. Quietè hac
fruiti per semihoram aut horam integrā pla-
cide corpus ambulatione, equitatione vel cur-

ruvectione movere possunt. Executa dein ex-spatiatione, prandium aut cœnam sequantur. Insuper quoque salutare *Galeni* monitum hic legatur, quod iis quovis balneo observandum indicavit: ne præsertim ullum viscus imbecillum sit, & ne multitudo crudorum humorum in primis viis adsit.

§. XVIII.

Balneum hujus fontis calidum tantum hoc usque in usum venit, qui cum frigido periculum quoque vellet facere, sine dubio in plurimis indicatis etiam superius affectibus opem haud contemnendam exinde sentiret. Si enim balneum aquæ frigidæ simplicis, hybernis etiam algoribus, adeo efficax, tam refrigerando quam vapores calidos, ne exhalent impediendo adeoque & calefaciendo & roborando fibras motrices eorumque tonum firmando restituendoque & easdem ad contractionem firmando, ut fortius impellant humores, & impelli dein fortius ab humoribus rursus sicque humorum cursum perennare, velocitatem eorum augere atque accelerare simulque inibi hærentia dimovere queant, ut multi veterum, qui adeo imbecilla corpora balneis calidis calefaciebant, ut ad frigida ea præpararent, asserunt ac multis literarum monumentis hodie Angli, inter quos eminent *Joh. Floyerus* & *Fullerus* & Galli imprimis perhibent, confignant & multiplici laudis encomio deprædicant, certe naturalia sic medicata & etiam

& etiam nostrum, ob ingredientia, quæ secum vehit, longe essent præferenda. Quippe contenta mineralia, nempe spiritus mineralis, sal & sulphur conjuncta ac energia quadam notabili prædicta principia, potentius longe penetrant, discutiunt, digerunt, partes martiales virtutem roborantem & contrahentem adjuvant, aliæ aliam operationem suam simul exerunt. Evidem mirandum hinc est, cur apud nos hodie balnea negligantur, cum olim semper prævaluerit eorum usus atque adeo Carmis, Massiliensis, Medicus, regnante Nerone, Imp. R. damnatis prorsus calidis, ægros mersit in flumina & lacus. Tuncque vidit *Plinius* vid. *Hist. Nat. Lib. XXIX. Cap. I.* Senes Consulares in ostentationem usque frigida rigentes., Conf. *Dion. Cassius Lib. XIII. Galenus Lib. III. c. 6. de tuend. sanit.*

§. XIX.

Qui aquæ nostræ soteriæ quoque potum, ad quem visus ipsius grata crystallina limpiditas invitat ac movet ultro salivam, appetunt atque pro certiori in longis ac magnis morbis effectu & successu expetunt, potus enim & balneum omnium aquarum salutarium, si invicem interponuntur, longe efficacius ambo operantur & in commune quasi bonum ægrotantium junctis viribus laborant, uno altero auxiliatrices velut manus porrigente, & si præcipue integrum curam sibi propositam habent, bene præparati & que ac ad balneum accedant, i. e. detracta

vasorum plenitudine, ne difficulter per debita
 emunctoria, ob difficilem jamdum humorum,
 statu plethorico, circuitum secedant, multasque
 molestias patrent, atque liberatis, ab abundantia
 succorum minus laudabilem primis, per la-
 xantia aut lenia vomitoria, viis, ne hæc copia
 capiendæ moli aquarum obstat, ad hæc impuri-
 tas vim earum & operationem frustraneam ac
 difficilem per corpus transitum reddat, per cu-
 ræ tempus subinde inflationes hypochondrio-
 rum & tormina similiaque symptomata exciten-
 tur atque una cum iis in vasa & ad humorum
 massam usque abripiatur, atque sic intempestive
 multis casibus verendis materia subministretur,
 consulto jejuno aut vacuo ventriculo, quo ce-
 leriorius & efficacius operantur, ad ipsam scaturi-
 ginem se conferant, & hauriant modo ex ipso
 fonte aquam, spiritu illo minerali adhuc turgi-
 dam, quo dulcius & utilius semper bibitur omnis,
 cyathos aut vitra aliquot atque exiguis hausti-
 bus per intervalla eibant & una alterave vice
 ad fontem redeatur reitereturque haustus, ut
 exiguum aquæ quantitatem viscerum calor fa-
 cile superet & per vasa bene ea distribuatur.
 Si minus ad fontem accedere, aut ante haustus
 ambulare liceat, in lecto, a calore ejus laxiori
 corporis habitu redditio, sic poris magis apertis
 atque meabilibus, fontis aquam recens haustum,
 ac in vase bene lecto apportatam bibere, quo-
 que e re erit. Nec dubito quin eadem sic ef-
 ficacia his nostris aquis erit ac Borbonniensibus

in Gallia & Bathoniensibus in Anglia, de quibus *Mayernius Op. Med. p. m. 344.* & *Guidottus de thermis Britan. p. 251.* observaverunt, eas longe citius & facilius per alvum atque vesicam, a decumbentibus in lecto, quam deambulantibus reddi. Certain autem & hic bibendi quantitatem, quæ pro cuiusvis constitutione aut habitudine, ventriculi & intestinorum vigore, pulsu cordis & arteriarum, copia & consistentia atque fluore humorum, amplitudine & libertate pororum & meatuum aut tolerantia, aut affectuum indole variat, determinare otiosum est. Si autem singulis diebus ter quatuor modo alvus purgatur & urina copiose satis redditur, spes enascitur, fore, ut per duas aut tres septimanas, continuato usu, peccantes humores intus indolentes sensim foras prescribantur ægrotansque levetur. Minori quantitate, duabus, tribus aut quatuor vitris incipient & indies ad majorem quantitatem aut vitrorum numerum adscendant, atque primis diebus semel, in iis sequentibus bis, mane vesperique quatuor aut quinque ante prandium aut cœnam horis, haustus repetant. Qui potum in initio forte non ferre possunt, non jejuni penitus eum assumant. Consultum idem est, qui potum balneo jungere volunt, pro cura *integra* instituenda, ut duabus, tribus aut quatuor horis ante ingressum balnei bibant, & dein per semi-horam aut integrum aut etiam diutius corpus exspatiando & ambulando aut equitatione &

curruvectione moveant ; Etenim balneo potus junctus hic optime nullo subsecuturi incommodi metu convenit : Qui vero non compendium temporis spectare debet, consultius quoque esset, si integrum per potum prius curam absolveret, quo absoluto balneum demum frequentaret, haud aliter atque plures thermas Carolinas per aliquot hebdomadas potasse, deinde vel balnea Carolina vel Teplicensia demum adiisse, observamus. Ex antecedentibus etiam colligere est, ob rationem jam semel ibi indicatam haud quandoque absonum esse, si ante ipsum ingressum balnei cyathus unus aut alter frigidæ aquæ fontis exhauriatur; Hic jam seorsim adhuc indicandum est, hunc potum hocque tempore adhibitum aptum & utilem esse, quoniam acres humores simul & facilius temperantur faciliusque diuresis promovetur, alvus laxatur, quod in cruditatibus & fœculentiis nidorosis acidis ac pituitosis, in primis viis ac ipsa sanguinis massa hærentibus, temperandis educendisque, in calculo renum atque vesicæ, in dysuria & ardore urinæ, vesicæ & sphincteris eluendo mucum, temperando & tollendo, alvi obstructione, item viscerum, in scorbuto, cuius salia microcosmica quotidie educuntur, necessarium est. In thermis Carolinis acidularum Egranarum cyathum unum aut alterum, ante ipsum balnei ingressum haustum, optime cum balneo convenisse, æstum præternaturalis, phlogoses, ex calore forte nimio therma-

rum obvenientes, temperasse & præcavisse, al-
 vum semper lubricam servasse & urinæ reddi-
 tionem auxisse, quod & in therinis Hirschber-
 gensibus, ab haustu fontanæ saltem frigidæ, ob-
 servatum esse supra modo est indicatum. Nec
 absconum est, immo in quibusdam casibus ne-
 cessarium ac utile, prius aquam, lagena firmiter
 clausa ac obturata, vel super fornaceum posita,
 vel ea in aquam calidam paululum immissa,
 tepefactam, ne multum spirituosa substantia
 ipsi decedat, bibere. Cum enim aqua frigida,
 ut scaturit, sufficiente quantitate ore hausta,
 par sit, obstructas vias ac poros perrumpendo
 ac reserando, potentia hæc ejus adhuc auctior
 redditur, si modice calescit, aut potius tantum
 cepescit, bene sic clauso obturatoque vase,
 quoad hoc, quod mineralia, quæ secum ve-
 nunt, ingredientia quædam, fixiora præsertim,
 in motum magis actumque vertantur, qui mo-
 us etiam consequenter humoribus impertitur
 & fibris motricibus adactus majorem adhuc
 notum imprimere majoremque efficaciam con-
 iliare potest, ut etiam calida magis alvum la-
 tat & diaphoresin uberrimam excitat, quam
 rigida pota, quæ e contrario diuresin magis
 rocurat. Frigidam enim aquam sexus fœmi-
 nus imprimis, quoniam facile ob nativam ac
 espectivam ejus prævirili teneritudinem, mea-
 cum angustiam, ac debile magis systema ner-
 osum, passioni hystericae & similibus spasmo-
 icis malis obnoxius est, ut ex virili ea subiecta,

quæ præsertim cruditates pituitosas in primis
viis alunt tumenteque corporis habitu conspi-
cua sunt & ventriculo debiliori & solutiori
prædicti, aut quoad teneritudinem, debilitatem
& sensibilitatem ad sequiorem proxime acce-
dunt, ut & infirmiora senioque confecta, non
commode ferre possunt. Quam aquæ frigiditi-
tatem in causa esse suspicor, quod acidulæ, non
circumspecte satis potæ, sæpe plus damni asse-
rant, quam thermæ, ut frequens observatio
docet. Pota ventriculum aqua non gravat,
neque nauseam aut vomitum facile excitat, mox
facile transit, per renes vesicamque redditur,
alvum lubricam efficit ac sine omni molestia
sineque torminibus laxam, appetitum excitat
& erigit, sicque his aliisque laudabilibus indiciis
indolem suam egregiam prodit, spem ac fidu-
ciam quoque ingerit, eam, hoc modo etiam ad-
hibitam, pituitam crassam, tenacem, acerbum
austerumque resolvere, attenuare, destruere,
succos salino-sulphureos, excrementitios, acres,
acidos, nidorosos diluere, temperare, edulco-
rare & educere, non modo in ventriculo & in-
testinis illorumque flexuris, plicis & valvulis,
sed & in ipsa massa humorum nidulantes, sitim
restinguere, pulmonalia vasa ab infarctu viscidu-
liberare ac sic in asthmate humido respiratio-
nem reddere liberiorem. Nec in ipsa phthisi
potus nostrarum aquarum est verendus, præ-
sertim si ea hypochondriaca, quam vocant pa-
thologi, sit, i. e. ex viscerum obstructione; In

vera certius emolumentum deprehenditur, si
 aqua cum lacte asinino mixta hauriatur: Qua-
 propter in præcavendo *Morton*, vid. ejus *Pthi-
 siolog. Lib. II. c. 2.* aquas soterias Islingtonien-
 ses multipli expeſientia tam in aliis quam in
 ſe ipſo edoctus, potandas suadet, ut & apud nos
 Selteranæ aquæ hoc modo in uſum veniunt.
 De aquis, quæ in ſecetu illo Angliæ amoeniſ-
 ſimo, Richmont dicto, emicant, utique ejusmo-
 di ac noſtræ propemodum ſunt, idem auxilium
 vidi. Porro vel ſolus potus plurimos eosdem
 morbos, qui ſupra occaſione balnei jam nomi-
 nati ſunt, curat, præſertim autem atque ſpecia-
 tim colicam atque nephriticos arthriticosque
 dolores ſedat, cardialgiam, nauſeam, ſodam abi-
 git, pertinacem alvi obſtructionem & ipsam
 iliacaſ paſſionem ſolvit, anorexiā & brady-
 pepsiam corrigit, clauſtra obſtructionum inter-
 narum, viſcerum, lienis, hepatis, meſenterii po-
 tenter reſerat, item tollit, vermes omnis gene-
 riſ, lumbricos, tænias &c. horrenda ſæpe ſym-
 ptomata excitantes, enecat ac expellit, hæmor-
 rhoidum diſſicile negotium facile reddit, ma-
 lum hypochondriacum juvat, ſcorbutum, cali-
 dum æque ac frigidum quem vocant, depellit
 ſicque totam maſſam ſanguineam fluidam red-
 dit, rheumatismos, morbos articulares, malum
 iſchiadicum, perſanat, calculofas in cavitatibus
 vaſorum & duclum concretiones impedit, &
 jamdum factas educit, ad quod ejusmodi aquæ
 ferratae, falſæ, bituminofæ, omni tempore com-

mendationem meruerunt, stranguriam & dysuria-
riam curat, tumores, dolores & exulcerationes
renum & vesicæ emendat. Extollant ideo alii
aquas ferratas in Thuscia adeo, ut eas vesica-
rias appellant, nos merito & ideo etiam aquam
Kukussensem extollimus, quia usus æque eum
extollit. Sed primo loco hoc nomine indi-
candæ fuissent febres, tam intermitentes, quam
continuae, quoniam hæ fonti huic primum in-
ventionem & quandam celebritatem dederunt:
Nam a majoribus acceptum hodie fertur olim
ab accolis, ad sitim sedandam, (ut in antece-
dentibus est memoratum) febres abigendas &
æstum illarum levandum, tantum hanc aquam
haustam fuisse. Hæc aliaque emolumenta, quæ
alias a potu thermarum & acidularum exspe-
ctantur, ulteriori experientia & periculum fa-
ciendo clarius certiusque stabienda, affert.
Inter observanda circa modum atque regimen
potationis, hæc primaria & necessaria sunt, ut
nunquam sub ipsis morborum paroxysmis, sive
motuum morbiforum exacerbatione & dolo-
rum, spasmodorum & convulsionum aggressu ea
adhibeatur: quoniam ob constricta emunctio-
ria non solum operatio impeditur, sed & au-
gentur anxietates & symptomata præsentia,
immo nova alia subsequuntur. Convenien-
ter potationi per VIII. X. vel XII. dies protra-
ctæ, interponi fortius paulo quoddam laxans
poterit eoque curæ finis imponi, ut digesti be-
ne

ne humores crassi & viscidi alicubique forte adhuc hærentes penitus educantur.

§. XX.

Non absolum erit ex nominatis, per balneum & potum curandis atque re ipsa curatis morbis aliquot saltem historias eorum easque notabiles mihi visas, in gratiam præsertim eorum, qui exemplis moveri ac doceri malunt, tradere, quas per brevem meam commorationem tunc temporis observare mihi ibi datum est. Prima sit tequens: Virgo XXII circiter annorum, per IV annos obstructione mensium & ex hoc suborta tandem epilepsia, certis temporibus recurrente, laboravit, quæ, aliis remediis pellentibus pertæsa, hunc fontem adiit & ante duos menses in brachio venæ sectionem admisit, sed ut referebat, sanguis adeo spissus atque punitosus fuit, ut feces cerevisiæ potius, quam sanguinem esse, quis putaret, postquam vero per IV fere septimanas aquam nostram soteriam, tam inter prandendum cœnandumque, quam extra hoc tempus potasset singulisque diebus balneo usq; & domum reversa, ex pede iterum vena secta esset, floridus & optime constitutus sanguis libere effluxit. Alteram vidi in civi quodam Silesiaco, qui malo ischiadicō per annum cum dimidio misere excruciat, elapso anno, altero Bohemiæ fonte, quem Sti Joannis vocant, usus, ex quo vero nullum levamen, potius dolorum immanium incremen-

tum reportavit, subsecente tandem anno fon-
 tem Kukussensem adiit, eumque tam interne,
 quam externe adhibuit, ex quo a malo hoc
 pertinacissimo atque molestissimo liberatus do-
 mum rediit. Tertia de alio viro quadragena-
 rio, majore hypochondriaco & scorbutico, do-
 loribus artuum & præsertim iis, quos osteoco-
 pos nominant, vexato recensenda, qui ex usu
 fontis nostri interno externoque lenem alvi
 fluxum cum euphoria talemque acrimoniam
 excretorum expertus est, adeo, ut rosiones in-
 testini recti molestissimæ ac summe dolorificæ,
 cum ardoris sensu atque harum partium exter-
 narum excoriatione essent. Ex quo paulisper
 melius se habere sentit, cuticula pinguis, fusca,
 cum fœtore balneo innatavit. Quarta de sum-
 me calculoso notanda, qui per plures annos
 calculi doloribus vexatus est, a quibus, excre-
 tis a Vto die VIII sat grandibus calculis, usu
 balnei & inter balneandum saltem potus tepidi,
 liberatus est. Quinta sequitur de fœmina
 XXXVI ann. anasarca contumaci laborante, per
 balneum modo intra III septimanas ex asse cu-
 rata. Sexta occurrit de viro juvēne XXII
 ann. febre tertiana pertinacissima infesto sæpi-
 usque recidivam passo, qui ante insultum pa-
 roxyssi febrilis balneum iniit quaterque tan-
 tum balneationem repetiit, ex quo paroxysmus,
 exacto semi horæ spatio, in balneo cessavit,
 quintaque vice repetito balneo penitus siluit
 ac nunquam rediit. Septima loquitur de juve-
 ne

ne XX annorum, sanguineo-cholerico & plethorico, qui ex febre tertiana male curata pessime se habuit, ex potu & balneo per IV hebdomades pristinæ sanitati restitutus est. Octava hanc seriem claudat, de virgine XXIII ann. multis symptomatibus spasmodico-convulsivis hystericis in capite, pectore & abdomen diu excruciata, quæ intra mensis spatium convaluit.

§. XXI.

Isti quoque non tantum laudant fontis hujus aquam, qui ipsi thee, quæ herba hanc aquam cito saturateque tingit, coffee aliaque vegetabilia, herbas, flores, radices, ligna, cortices incoquunt, aut juscula ex illa parant cibosque conficiunt; tantum enim abest, ut ventriculo & intestinis molestias creet, quod tamen in aliquibus thermalibus aquis experitur, ut potius ii, qui decoctis ejusmodi utuntur, bene appetant, bene digerant beneque egerant. Idem judicium esto, quando queritur, an etiam aqua Kukusiensis inter pastum loco potus ordinarii potari possit? Attendendum, quod ii notabile exinde levamen sentiant, qui cardialgia & concoctione quam vocant depravata, debilitate & atonia ventriculi subinde conqueruntur, quod ab aliis de aliis aquis soteriis & thermis invenio affirmatum atque probatum. Hanc autoritatem & experientiam confirmat & sistit *Guidotus*, qui in tractat. de thermis Britanniæ p. 268. aquam Bathoniensem inter prandendum atque

cœnandum potam, in dyspepsia & bradypepsia depravatoque ventriculi & intestinorum tono efficacissimam expertus est. Eadem asseveratione curiosis respondendum ulterius, an quoque haustus aquæ cubitum ituris (Schlaff-Trunk) ad sedandam sifim, suavem somnum procurandum conveniat, siquidem somnus omnino placidus atque mane alvus laxata redditur. Si forte potantibus balneantibusque in fortioribus ut ajunt naturis alvi laxatio & urinæ redditio exspectata protinus non succedit, tertio quartoque die pilulæ laxantes cubitum ituris deglutiendæ, & salia quædam disolventia similiaque lenia diuretica ordinentur de die per aliquot vices assumenda. Ii cœterum, qui in morbis gravissimis & pertinacibus, pro eorum indole medicamenta pharmaceutica, morbis & causis eorum dicata, ante balnei ingressum assumere vellent, non male agerent; etenim tam ratione, quam exemplis mihi exploratum est, in thermis Carolinis & Hirschbergensibus medicamenta aperientia, pellantia, obstrunctionibus mensium idonea, in tumoribus, obesitate nimia, diuretica, tartarea, acida, resolventia, in vitiis cutis, sanguinem purificantia, in paralyticis, appropriata, cum balneo simul adhibita, non contemnendam opem tulisse, quod & de aliis sentiendum est: Nam balnea etiam hanc singularem sibi vindicant efficaciam, quod usum atque virtutem medicamentorum valide agentium in personandis gravibus morbis.

bis apprime promoveant augeantque. Facile insuper & me consentientem habent ii præser-tim, qui simul potum aquæ nostræ soteriæ bal-neo jungunt, si inter prandendum cœnandum-que vel ante hoc tempus stomachica quædam dicta & ad spirituascentiam facientia v. g. sal volatile oleosum Sylvii, vel solitarium, vel cum spiritu nitri aut vitrioli dulci mixtum similia-que assumerent. Hæc quæ de balneo & potu & circa exhibendi modum dicta sunt, diligenter obseruentur & teneantur, nullum dubium est, quin hæc medicationum genera oīnnibus ferme hominibus convenient, licet comparatio-ne scrupulosius instituta, huic præ alio magis conducat.

§. XXII.

Præter balneum & potum alia quoque datur ratio eaque non simplex sed varia, qua etiam hæc aqua in utilissimum dicitur usum. Ab accolis quibusdam accepi, quod felicissime oph-thalmias & gravissimas oculorum inflammatio-nes ac rubedines, calida sèpius oculis admota, auferat. Visum acuere frigidam oculis instil-latam, in multis expertus sum, quare id con-cludere licet, eam frigidam adhibitam conser-vare oculorum aciem, calidam vero suffusiones & cataractam incipientem similiaque oculorum vitia curare, ulteriore accretionem impedire, quo lentorem quendam oculos, præsertim ma-ne obturantem & in concretionem quasi puru-lentam abeuntem, elicitum exinde cum eupho-

ria exspectata subsequente observare licet. Si os frequenter sive calida sive frigida eluitur, gingivarum vitia, tumores, erosiones, ulcerationes, vacillationes corrigit, tollit ac foetorem oris sanat, emendat; gargarismata exinde parata calida tumores tonsillarum & relaxationem uvulae, colli fauciumque inflammationes discutunt, resolvunt ac deglutitionem commodam restituunt. Si calida auribus instilletur, earum dolores ac susurros mitigat, sistit, amissum auditum restituit. Nec dubium est, quod de thermis Hirschbergensibus, etiam spiritu minerali, alcalino, salino principio, bitumine, ferro & alumine praeditis, expertum habeo, capitulvia talia maniacis egregiam posse afferre opem.

§. XXIII.

Stillicidium aquarum medicatarum sive embrocationem passim commendari leges ac audies, nec contemnendos effectus eosque, quos balneum aut fomentationes, longe etiam continuato usu non efficere possunt, saepius videbis. Siquidem aqua sive frigida sive calida in pluvia velut stillata, motu fortiori ac impetu partes subjectas fortius & efficacius longe, simplici quantumcunque etiam continuato insessu, penetrat, lertos, impactos profundiusque haerentes humores potenter attingit, emollit, movet, dividit, solvit dissolvitque & fibras ad motum edendum & contractionem instigat sicque tonum imbecillum atque amissum penitus restaurat.

rat. Adeoque magnarum virium est ejusmodi in partium corporis humani inveteratis & pertinacioribus malis, in deliriis, in paralyysi, in stagnationibus & obstructionibus profundioribus, imbecillitatibus, tumoribus majoribus, rheumatismis & arthriticis doloribus, indurationibus, scirrhis, distortionibus, gangliis, spina ventosa, strumis, nec non aliis morbis: sic Job. Zacharias in Consult. med. pag. 461. pro ignavia partium genitalium curanda stillicidium ejusmodi supra os sacrum efficacissimum praesidium censet. Hoc medicationis genus adornari potest in ipsis balneariis & inter balneandum vel in conclavi proximo, bene calefacto atque disposito, ubi ex alto aqua fervida ad tolerantiam ex vase aliquo ad hunc usum accommodato, vel colo, gutturnio, epistomio & simili guttatum paulatimque, aut pro rei exigentia confessim ad subjecta membra affecta & denudata cum impetu fluit. Indies hoc stillicidium æque ac reliqua medicationum ejusmodi genera augeatur, ut per aliquot primum dies ad dimidię horam, dein per integrum, ac tandem per integrum cum dimidia, immo per duas horas & ultra, modo semel in die mane aut vespere, modo bis, circa idem tempus, prout pertinacia morbi indiget, ac ægri tolerantia fert, instillatur. Quo sperati inchoati effectus indicium erit, si æger, ad partis affectæ penetralia penetrasse, caliditatem aquæ sentiat. Majorum adhuc virium hoc stillicidium erit, si herbæ, flores, baccæ, semina &

similia vegetabilia nervina, roborantia, aromatica, resolventia, penetrantia, &c. ut mentha, melissa, majorana, rosmarinus, calamintia montana, serpillum, herba & radix levisticum, bacca juniperi, semen erucæ, finapi & similia aquæ incoquantur. Melius res succedit, si cura cum balneo prius est absolute corpusque sic bene preparatum partesque affectæ cum materia peccante, inibi profundius adhuc hærente, bene sint dispositæ. Si stillandum in caput erit, illud prius novacula radatur & capillis denudatur ac instillatio præsertim ad futuras fieri affollet, ut vero fortius tutiusque agat hoc remedium genus, præparatio cum majori quoque cura antecedat eaque exactius teneantur, quæ de balneo dicta sunt, scilicet corpus bene hic quoque prius expurgatum sit, & demta plethora, biliosi, præsertim sic dicti calidi temperamenti & siccii, habent quod vereantur, ne improviso abuso majus damnum sibi contrahant. Commune hoc stillicidio accidit, quod ut plurimum ii, qui iis sibi subjiciunt, somnolentia graventur, quæ vero operationi impedimento esse potest, quare in Hetruria, in illis locis, in quibus eiusmodi stillicidium adhibetur, conductæ mulieres canendo stillicidio utentes solent excitare. Absoluto hoc negotio, pars, præsertim affecta stillicidiumque passa, calidis pannis bene obregatur calidaque semper servetur. Neque noxa facile ex aqua nostra Kukulensi, in stillicidio adhibita, verenda, ut quidem quidam alibi ex

aqua

aqua thermali solent, de quo conf. J. Günth.
Andernacus in Dial. de baln. & aqua medic.
Sommerus l. c. Guidottus l. c. Levioribus ma-
lis fomentatio sufficit, qua pars affecta aqua ca-
lida fovetur, commode vero vel spongia vel
linteamina duplicata, aut panni illa imbuuntur
sicque applicantur, superintectis pannis siccis
calefactis, ne humiditas refrigerescat & pejus da-
mnum afferat. Extra balnei tempus morbis
pedum particularibus fere quibusvis pediluvia
rapida cum fructu simul parari possunt, sed
ejusmodi, quæ totas tibias ad genua usque per-
tingunt. Qui & hæc extra balneum, aliis par-
tium superiorum morbis, balneo jungere vel-
let, majorem exinde fructum reportabit. Non
in scopo aberraret, qui in colica, dolore calculi,
salvi obstruktione ipsaque iliaca passione, in hy-
drope & similibus viscerum morbis, ut & pro
alceribus iisque simul intestini recti, sanandis,
per siphonem hanc aquam calefactam clysteris
oco injicere curaret. Quæ injectio pedibus a
potu forte tumefactis etiam remedio erit. Sub
potus specie spongia imbuta calida & huic vel
lli parti applicata adhiberi etiam poterit, v.g.
hoc remedii genus Aetio familiare fuit, quo
oculis præsertim applicato non modo visum
restauravit, fluxionesque fugavit sed & tabem,
llorum ganglia & atheromata sustulit. Hæc
nim particularia omnia beneficia partibus illis,
quibus applicantur, ac balnea universalia uni-
verso corpori impertiri possunt. Hi recensiti

modi

modi adhibendi pro rei exigentia aut seorsim,
modo hic, modo ille , aut conjunctim omnes
simul haud incommode in usum duci possunt,
ut duplicata quasi virtute morbum depellant
atque ejiciant.

§. XXIV.

Difficile rursus est certum tempus certum-
que dierum numerum sumendæ aut adhibendæ,
balneo, potu aliaque ratione, aquæ circumscri-
bere, ut cura penitus absolvatur, cum alii mor-
bi altiores egerint radices & inveterati ac per-
tinaciores sint, alii recentiores, leviores cura-
tuque faciliores, cum juxta ipsum Hippocratis
effatum longo curentur tempore , quæ longo
tempore contracta sunt vitia, quæ vero brevi,
brevi. Taceamus haud raro hunc vel illum
unum eundemque morbum, in diversis ægris,
pro illorum constitutione, tempus curæ insu-
mendum variare, quare potius putandum est,
tamdiu hac cura persistendum , donec curatos
penitus aut saltem levatos se sentiant ægrotan-
tes. Ut plurimum II. III. IV. V. VI. septima-
næ sufficiunt. Immo nec tunc spes modo ab-
jicienda est omnis, siquidem omnes propemo-
dum aquarum mineralium curæ id commune
habent, quod elapso aliquo tempore elapsisque
aliquot mensibus, domum reduces demum ex-
spectatum perfectumque impertiantur effectum,
quod de alteris Bohemiæ fontibus, præsertim
Carolinis thermis vulgo perhibetur. *Baccius*
de thermis thermae aliquas recenset, quæ non
nisi

nisi post decursum anni prosint, immo hoc de balneis habetur in genere, quod in magnis gravioribusque affectibus fructus longe firmiores, certiores constantioresque sint, qui ex iis reportantur, si non subito, sed interjecto aliquo temporis spatio consequuntur. Nec a veritate alienum est, quod dicitur, hanc aquis mineralibus institutam curam, semel adhibitam, quidem placere, sed bis, ter quaterve repetitam ex asse juvare. Quibus igitur & insequentibus annis saepius hunc amoenum locum huncque saluberrimum fontem repetere volupe sit, illis continuatus usus causas pœnitendi nunquam relinquet.

§. XXV.

Omnia hæc medicationum genera, quovis anni tempore, etiam hyemali locum possunt invenire, modo horum temporum habeatur ratio ac adtemperatio frigoris aut caloris rite attendatur. Vana enim tantum persuasio est, minerales aquas hyeme per se esse non tantum viribus exutas, verum etiam nocivas, nam satis jam notum est atque perspectum, illas, cujuscunque etiam sint naturæ, sive calidæ sive frigidæ, viribus æque constare, ipso id comprobante effectu. Immo sentit *Morellus de Bal. Patav.* ejusmodi aquas minerales hyeme longe esse efficaciores, cum frigus ambiens, poros terræ claudens, non sinat spiritus minerales exhalare. Confirmat hoc ipsum *Tabernæmontanus in Wasser-Schatz p. 196. seq.* Novi multos, qui exoptato

successu hyeme thermis Carolinis, Hirschbergensibus, acidulis Swalbacensibus, Egranis, aquis Lauchstadiensibus usi sunt; quare nulli dubitamus, quin de his aquis idem affirmandum sit. Nec est cur metuamus æstu existente æstivo, aut ardente Syrio, ut omnia alia remediorum genera, quæ tunc adeo veretur Hippocrates noster, ita & hoc noxiū, si modo convenientes cum debito regimine, tempore, moderatio-ne ac balneo debito, calori aëris accommodato utantur, ne sanguinem, ab æstatis calore ad pauperiem redactum & spiritus animales dimi-nutos non magis exfolvat, destruat atque ab-sumat. Si vero quicquam veri, quod tempe-statum nempe variationes concernit, subest, causa noxæ aut auxilii potius a pluvioso aut se-reno aëre vel æstuoso nimis & frigidiori, con-stantiori aut vario & mutato sèpius, quam anni mensibus petenda est. Quippe, ut in superio-ribus per varia exempla jam indicatum est, de pluribus ejusmodi exploratum habemus.

§. XXVI.

In præsens quæstio oritur, an etiam hæc aqua aliorum transportata, potu æque ac balneo adhibita aliisque recensitis modis, vim suam medicatam retineat! Ad hoc scire licet, nul-lum dubium subesse, eam, si sub cœlo, præser-tim sereno, frigido, ac tempore matutino in vasis infundatur & iis bene obturatis & plenis, frigidiore potius quam calidiori aëre, de nocte magis,

magis, quam de die, radios solares evitando, transportetur, utique tam ad potum, quam balneum reliquosque modos idoneam esse, pro iis, quibus non licet hanc ipsam amoenissimam adire Corinthum, quamvis non negandum sit, multum de partibus volatilioribus perdi, quasdam partes minerales ad fundum vasis præcipitari & lateribus ejus apponi; Habetur etiam, tunc aquam fortiorem propemodum saperem acquirere, quod de acidulis, quæ in dissitas regiones transvehi solent, compertum est atque manifestum, adeoque & ea in comparatione, quæ in ipso loco in usum ducitur, præferenda. Reliqua tamen ingredientia fixiora tota remanent & ad usum adhuc idonea, etiamsi præcipitata atque ex parte alterata sint, si enim postea calefit aqua, vis medicata non minus excittatur, ac si in loco ipso, ubi suos natales sumisset, decoquatur. Immo si aqua hæc in vitrea lagena reponitur diuque asservatur, non modo non multum turbatur, sed limpida potius manet. Quod experimentum Illustrissimus atque Excellentissimus Dominus Comes per triginta & aliquot jam annos instituit, & singulis annis certam quandam quantitatem in vitrea lagena reponendam jussit. Hoc tamen comperi, in lagena non cooperta, in liberiori aëre per aliquot dies asservatam aquam turbidam apparuisse, nec mirum, quoniam liberior accedens aër atmosphæricus, ut liquidorum omnium, ita etiam & præsertim aquarum medicatarum mix-

turam ac crasin motu suo immutat & spirituo-
sum, quod iis inest, abripit & aufert. Ulterius
a curiosis quæritur, an etiam pars aquæ maxi-
me energetica, quam spiritum illum mineralem
nominamus, separari & in magnam medicinam
concentrari possit? Respondeo affirmando, li-
cet magnarum difficultatum plenus labor sit,
attamen non plane impossibilem & in fructuo-
sum eum futurum suspicor, si recens hausta spi-
rituosa aqua in obturatis bene vitris lenique
igne debitoque adhibito modo destilletur.
Quod ut eo potius credam, me movet obser-
vatio du Cloos, in libro *de aquis gallicis* p. 93.
qui, cum destillasset aquam de St. Mion, Al-
verniae, deprehendit, id, quod prima destilla-
tione exigua in quantitate prodiit, aquam tor-
nasolis cœruleam rubedine infecisse, quod nec
ante destillationem, nec post eam continuatam
factum est, cœruleum autem hujus colorem aci-
dulus spiritus, cuius indolis spiritus hic mine-
ralis catholicus est, rubidine tingit. Irritum
autem negotium suscipies, si universam aquam
cum omnibus suis ingredientibus concentrare
& in essentiam aut Q.E. arte chymica redigere
velles. Cum de aliis quoque mineralibus aquis,
quaæ hodie peregre evehuntur, factum sit, ut
id nunc non metuamus, quod antea adeo me-
tuebant, immo eorum laudamus felices effectus.
Sic notissimum est, thermalem Carolinam a-
quam superioribus annis, in Saxoniam superio-
rem & inferiorem, Misniam, Marchiam Bran-
den-

denburgicam transportatam, potu balneoque per multiplicem usum esse probatam. De aqua Lauchstadiensi & Hirschbergensi thermali idem novi: Immo ipsam aquam Kukussensem non modo in Silesiam, sed etiam Saxoniam, Lipsiam usque transportandam curavi, per plures menses servavi, ac pro hebitudine oculorum corrigenda optimo cum successu adhibui.

§. XXVI.

Non tamen putas hunc fontem nostrum so-
terium, ut alia quævis auxilia, in universum
omnibus morbis omnique adhibendi modo sim-
pliciter & absque adhibitis debitissimis vix
quadrare. Subesse enim & hic, ut & alibi
propemodum semper aliquis potest error. Nam
inutilis inanisque ejus usus erit, siue balneo si-
ue potu adhibeatur, in inveteratis nimis ac per-
tinacissimis malis & ubi tota natura, ut asserunt,
corrupta prorsus est, atque humores summe
impuri ac depravati existunt, & tonus parti-
um solidarum ac robur penitus debilitatum at-
que dejectum. Et quis potest alibi, hisce ma-
lis expugnandis, pares medicinas invenire?
Nam secundum illam tritam regulam, omnia in
universum remedia non tantum secundum acti-
vitatem suam agunt sed & receptivitatem. Etsi
innocens alias est & naturæ humanæ optime
conveniens ac ejusmodi indolis, de quibus di-
citur, quod si non profuerint, saltem non no-
ceant, inanis tamen non modo, sed & nocivus

erit ejus usus, maxime potus, in plurimis capitib
 & cerebri affectibus iisque inveteratis nimium &
 qui ex cerebri nimia humiditate & tono relaxa-
 to, spirituum defectu, utpote in quibus diffici-
 lius per cerebri vascula circulatio sanguinis suc-
 cedit, oriuntur, quosque affectus idiopathicos
 vocant, quapropter ab eo abstineant, qui apo-
 plexiam & affectus soporosos timent, iisque, qui-
 bus sensuum internorum, maxime memoriae
 vigor perit: Sic & inconvenienter & potus &
 balneum a pleuriticis instituentur. Exulet
 porro, me quidem judice, ubi consummata
 phthisis ex erosione pulmonum, hæmoptysis,
 asthma convulsivum, mictus cruentus infestant,
 ubi viscera jam sunt corrupta, putrida aut ma-
 xime impacta, indurata atque scirrhosa, ubi
 humores vitales putredinis labe jamdum infe-
 sti, ab aqua enim accedente magis commoti,
 tandem eodem vitio imbuuntur & aqua corru-
 ptam partem rumpit. Et licet aquæ nostræ
 vim emolliendi, attenuandi, dissolvendi, ape-
 riendique merito assignaverim atque ideo in
 obstructionibus, a non nimis incrassatis concre-
 tisque humoribus oriundis, superius laudave-
 rim, tanta tamen vi non instructæ sunt, ut scir-
 rhosas confirmatas concretiones & indurations
 aut tartarea solidiores coagulationes emollire,
 dissolvere & hujus indolis obstructiones resol-
 vere & perrumpere possint; Ibi enim aquæ po-
 tæ in vasis subsistunt, redundant, stagnationes
 & hydropses relinquunt. Ubi & jam inveniunt
 humorum quasdam extravasationes & effusio-
 nes

nes potæ aquæ, in cavitatibus quibusvis capitis, thoracis, abdominalis, ipsas augent : Perinde in inverteratis hydropis speciebus, præsertim ascite, pectoris hydrope, hydrocephalo, ut & hectica & tabe vera, ex corruptis visceribus, inflammationibus, præsertim internis provectionibus atque in summo augmento & statu constitutis, ubi ventriculus & intestina, mesenterium, renes abscessibus & empyematibus obsessi sunt, & cavitates atque vasa polypis crassis repleta, vix tutus est usus internus, in copia & pro cura integra institutus. Æque in angina & peripneumonia, in principio, maxime incremento statuque eum vix admitterem. Sic & majori lateribus vesicæ adnato aut nimis impacto calculo renum pariter atque vesicæ, ut & gonorrhœæ virulentæ haud proficiens est. Externus usus speciatim minus conductit podagræ valde nodosæ & cancro, præsertim quem noli me tangere vocant. Pariter nondum satis constat, an etiam lue venerea talibusque ulceribus affectis medeatur, observationibus cum aliis aquis mineralibus factis, factum est, ut suspectæ & inconvenientes hic omnino redditæ sint. Etenim in hac lue sanguinis serum miasmate corruptivo infectum coagulatur maxime spissumque redditur, adeo, ut his & similibus remediis licet sat efficacibus ac tutis vix evinci queat, quam pessimam conditionem omnia phænomena & symptomata, quibus hoc morborum genus sunt stipata, monstrant atque Ambr. Pa-

æus Chir. Lib. XVIII. Cap. III. validis rationibus comprobat. Et *N. Massa Epist. XXX. T. I.* in lue venerea laborantium & demortuorum cadaveribus dissectis se invenisse materiam albam pituitosam in venis, sanguinem longe superantem refert.

§. XXVII.

De convenienti diæta, quæ morbi & curæ eventum haud parum variat, quam servare debent hoc fonte utentes, merito solicii sint omnes, cum sine hac frustraneus, si non periculosus hujus sit usus. Evidenter hujus unam omnibus regulam præscribere, admodum difficile est, cuin varii casus etiam varias subinde exceptiones postulent. De ea in genere saltem tenendum, ut omni studio vitetur nimius solis ignisque in camino æstus ac frigus matutinum vespertinumque, & regimen hoc semper sit temperatum, potius ad calidum & siccum, quam frigidum & humidum inclinet, quo & cubiculi, lecti & vestimentorum ratio instituenda : Venti importuni & insalubres austrini, humidi calidi & humidi frigidi, aër crassus, nocturnus, pluviosus, nebulosus, foetoribus referuntur arceantur. Viatus in humidum & laxum pro balneantibus, potantibus vero in siccum aut spissum magis sit compositus & ad mediocrem satietatem usque assumatur, tamen ne gravet, sed agiles servet homines. Esculentis vescantur facilis digestionis, gustui & naturæ acce-

acceptis ac gratis (quod enim bene sapit, bene nutrit) & qui parva quantitate ingesti satis sunt, ut fami & siti satisfaciant, qui diutius paupo in corpore retinentur & moderate per alvum secedunt, iisque & bene præparatis condisque, aut, quod melius, assatis, bene sale & aromatibus, sive exoticis sive domesticis, macere, nuce moschata, cinnamomo, croco, calamo aromatico, radice helenii, &c. conditis, præsertim potantes, nec non carnibus animalium juniorum, anatum, columbarum, pullorum gallinaceorum, gallinarum, caponum, alaudarum aviumque aliarum, vitulorum, agnorum, leporum, cuniculorum, hœdorum, damarum, caprарum & similium. Ex piscibus ii, quos saxatiles vocant & his oris non rari præferuntur, ut truttæ, funduli, percæ & alii minores, ut lucii, cancri minores, porro ova sorbilia, pultes & juscula avenacea ac hordeacea ex oryza, poma tosta ac bene cocta, nec non decocta cum herbis, floribus, radicibus, seminibus & ejusmodi vegetabilibus, quæ alimenta medicamentosa simul constituunt, qualia medicamentis eo sunt præstantiora, quod naturæ magis amica sint. e. g. acetosa, acetosella, endivia, cochlear. nasturt. borragine, seleri, foliis salviæ, majoranæ, flor. cardui benedicti, rad. cichorei, pastinacæ, petroselini, capparibus, limoniis, asparago, sem. anisi, fœniculi, bacc. juniperi aliisque similibus vegetabilibus aperientibus, diureticis, alterata convenient. Nec dulcia tenuia respuen-

da, utpote quæ urinam & alvum movent atque
 humectant. Potulenta sint cerevisia, bene co-
 cta beneque defecata, non acore corrupta, lau-
 datur ea, qui ibi ordinario venditur & vinum
 Hungaricum, ut & Bohemicum bonæ notæ,
 pellucidum & purum, quod conducibile satis
 est, quoniam diureticum, facile pertransit & al-
 vum apertam servat, immo laxationem ejus pro-
 curat, aut etiam aliud, corticibus citri & auran-
 tiarum, absinthio, helenio, cochlearia &c. me-
 dicatum, subamarum, inter prandium cœnam-
 que assument. Extra hoc tempus infusa atque
 decocta consueta, thee, coffee, & ex gelidi po-
 rus generibus, limonada quandoque addi pos-
 sunt. Omnia hæc ad mediocritatem ac tempe-
 rantiam sint ordinata, ne in crapulam ebrieta-
 temque abeant, quæ certe in ejusmodi locis com-
 munia vitia sunt. Nec avide cibi devorentur,
 sed spatium consumtioni concedatur. Absti-
 nendum vero ab alimentis viscidis, crassis, duris,
 nimis acidis, austenis, constringentibus, pingui-
 bus, butyro frixis, nauseofisis facileque corrupti-
 libus, fermentescibilibus & flatulentis, præsertim
 quando aquæ potantur. Tabaci fumus in ad-
 suetis moderate, five mane, five vesperi admit-
 tendus. Excernenda & retinenda per alvum,
 vesicam, uterus, cutem, debito modo suo sem-
 per respondeant: Exulet venus ex hocnym-
 pharum domicilio: Somnus fit moderatus, vigi-
 liæ nocturnæ absint moderateque corpus movea-
 tur, præsertim ante prandium & cœnam; Maxi-
 me

me vero potantes aquam soteriam, post potum deambulationibus, curru equoque ventione, decentibus & modicis saltationibus, mane ac vesperi frictionibus exerceant. Animum nunquam angat anxietas, non affligat cura, non molester sollicitudo, metus non exterreat, non tremor concutiat, mala concupiscentia non abducat, non conturbet tristitia, mœror vitales vires non absu-
mat, non contristet turbatio, ira & impatientia non commoveat, potius spe, fiducia, amore, hilariitate, gaudiis, grato amicorum conventu & consortio, honestis jucundisque colloquiis, suavi concentu musico pascatur & recreetur atque licitis illis ac honestis voluptatibus fruatur omnibus, quæ ibi undique ac quotidie offeruntur, & quæ ultro accedentes vel invitatos invitant, oculos cupiditate morantur ac desiderio trahunt. Neque minus harum rerum bonum moderamen post usum thermarum per aliquod temporis spa-
tium & in ipso itinere, quantum fieri potest, ser-
vandum; Atque ante omnia salutem animæ suæ & corporis ardentibus & humillimis precibus Deo summo & benignissimo rerum arbitro, hoc eximio divino dono utentes, commendent ea-
que feliciter obtenta Ipsí faustum successum pie adscribendo devotas gratias exhibeant & de re-
liquo divinæ suæ voluntati se totos committant.

Ad extremum hæ nymphæ cuivis semper pro-
fint iterum iterumque ex animo opto.

III.

Dissertatio Medica de sic dicto mō-
lari ad thermas Carolinas fonte.

PRO O E M I V M.

SAL & sulphur omnium activarē med-
camentorum partes sunt, quāe insigni-
ter alterant pariter & evacuant leni-
ter atque concinne, & quāe ea propter
pro curandis chronicis & pertinacibus
morbis efficacissime existunt. Etenim
sal spiculis, quibus instructum est, tam
crassas, viscidas, quam glutinosas omni-
um potentissime dividit, resolvit, atte-
nuat atque abstergit fibras nervosas omni-
um solidarum partium, atque motrices
vellicat easque adigit, ut se contrahant,
ac velut ad motum edendum armentur,
quo pacto efficitur, ut non solum illāe
inertes & ad motum difficiles partes ex-
cernantur, sed & itus & reditus laudabi-
lium humorum sartus tectusque serve-
tur. Sulphur autem ex oleofis, phleg-
maticis atque salinis particulis inter se
bene commixtis ac temperatis conflatum
emol-

emolliendo, relaxando, demulcendo, temperando, acidum obliniendo, sopiendo, penetrando, calefaciendo, siccando, discutiendo, aperiendo, digerendo, putrefactionem avertendo, venenisque resistendo &c. vires suas commodissime exserit, atque eapropter anodyna & antispasmodica vi in curandis morbis adeo proficua & necessaria pollet. Quæ agilia & præstantissima principia eo facilius & certius suas operationes perficiunt, si amico & intimo connubio inter se unita sunt atque conjuncta. Talia præsertim principia laudatissima & efficacissima minerales, salutares fontes ex benignissima Sapientissimi Dei ter Optimi Maximi concessione possident. Evidem paucissimi calidorum soteriorum fontium sunt, qui sulphur notabile & manifestum vehunt, si notissimos Aquisgranenses & Hirschbergenses excipias; verum tam calidi quam frigidi quam plures hinc inde inveniuntur, qui salia eaque alcalia pura ac neutra magna sat copia continent. Scimus nimirum Selteranas, Emenses, Bollenses, Aquisgranenses, Buchenses, Wildenburgenses, Spadanas,

Dei-

Deinacenses, & in Gallia Bourbonenses aquas medicatas merum alcalicum sal in sinu suo fovere. Egranas & Sedlicenses medium cum Seydschützensibus in Bohemia, Elsteranas in Voigtlandia, Wiesbaadenses, Ratzeburgenses, & quondam Hornhusanas, Ebshamenses in Anglia utrumque simul alcalicum nimirum sal & neutrum Carolinos thermales fontes utrosque, & fervidissimum illum maxime & tepidum molarem vulgo dictum magis junctum habere. Et hic ipse est, quem descriptioni, commentationi & laudationi publico quidem nomine per hæc literarum monumenta levidensia, licet bono cum Deo jam destinavimus. Faxit ille Summus Archiater, ut qualisunque hic labor cedat in Maximi sui Nominis gloriam atque proximi commodum.

§. I.

IN Bohemia aquarum præsertim omnis generis mineralium proventus feracissima regione, ad ipsas thermas ubique famigeratissimas & per aliquot seculorum decursum frequenter, omnium propemodum calidissimas Carolinas

nas, dictas a Carolo IV. Romanorum Imperatore, detectas propter amnem per medium oppidum volventem illudque rigantem non noviter quidem exorta modo sed non ita pridem frequentata scaturigo, quoque invenitur temperato ac perjucundo calore praedita. Fons vulgo molaris, der Mühlbrunn, vocatur, quoniam juxta molendinum istius loci ex interioribus terræ visceribus & quidem ex rupibus editis & radici montis insidentibus levi raraque atque perenni semperque æquali ebullitione promanat, unde in alveo ablongo & quadrato ligneis tabulis circumdato hæ salutares lymphæ colliguntur, redundantes vero subtus in profluente exonerantur. Ad latus atque juxta scaturiginem balneola & apodyteria pro balneantibus adstructa sunt. Tegunt fontem ex asseribus superinstructæ binæ cameræ, fornace instruetæ, ad commoditatem his aquis soteriis utensium adaptatæ.

§. II.

Tamdiu neglectui atque derelictui & tantum non respectui habitus hic fons soterius est, jacuitque per omne ævum pretium ejus, usque dum Celeberrimus Fridericus Hoffmannus, Archiater & Professor Regius in Academia Halensi Excellentissimus, Vir in eruendis atque tradendis rebus physicis pariter & medicis sicut diligentissimus, ita acerrimus ante sex circiter Iustra curatius examini subjicit, multoque usu atque variis observationibus collectis curisque insti-

institutis utilitatem ejusdem monstravit ac confirmavit aliisque commendavit. Ex quo multi quoque Experientissimi Medici tam exquisite, quam candide ad rationis atque experientiae lydium lapidem illum revocaverunt, & utilissimum ac præstantissimum eum tam interno, quam externo usu invenerunt, unde sensim crevit illius celebritas, adeo, ut per faustam multiplicem experientiam factam jam gloriose undique prædicetur, & non amplius difficilis sit plurimorum applausus. Subiit ante multos jam annos inde mihi etiam animum curiositas amore veri, ac inserviendi meis ægrotis **cupido**, ulterius circa illum explorandi, id quod res & occasio obtulerunt, atque singulis vicibus, quibus hunc locum adire mihi contingit, contemplando & observando curandoque compertum & exploratum mihi magis magisque eum reddidi, atque quale quale etiam hoc meum scrutinium sit, satis jam habeo, esse hic hujus soterii & laudatissimi fontis aliqualem descriptionem atque laudationem secundum diligentiam atque censuram, quam pro modulo meo adhibere potui, in tradendis & expendendis omnibus, res rebus comparando necessariis. Spectemus ergo, quid de illo, de ejus indole, contentis viribus usibusque conscribere institutum est.

§. III.

Contemplantibus atque curam animumque advertentibus constat, hanc aquam soteriam pri-

primum tepidam modo lenique scaturigine provenire, cum alter primarius fons ferventissimam omnium aquam magna vi eructet, quoniam ab illo remoto spatio promanat, aut aliis frigidis lymphis miscetur. Ad latera ac fundum alvei, in quem colligitur aqua, ut & ad canales, per quos iterum defluit, ochram ex luteo & candido subrubram, paucam illam quidem ac levem tenuemque deponit. Hausta aqua & in vitrum transfusa limpida, clara atque pellucida cum multis agminatim exorientibus ex fundo vitri iisque cudentibus bullulis ad instar perlarum inter se conquassatarum & internatantium apparet; Minus vero tales bullulae sub frigido Jove ac tempestate nubila conspicuntur. Naribus excepta titillatione quadam eas ferit. Cylindri lignei ope si ponderatur ex ipso fonte statim depromta levior, simplici, fluviatili ex præterfluente fluvio, Tepla oculis deprehenditur & de optima indole spes modo concipitur. Quæ phœnomena de principio æthereo, spirituoso atque elastico ac generoso in poris aquæ nidulante & calore & motu intestino rarescente & expandente sursumque petente ex hoc motu suo omnes humidas, phlegmaticas, graves, salinas, quibus commixtum est, evehente, ad integratatem corporis humani conservandam admodum utili momento testantur, quæ eo luculentius ac ciuius apparent, quo aër atmosphæricus & cæsor talem aquam premit, sicque hanc elasti-

cam partem cogit, & ejusdem expansivam vim deprimit. Hinc & accidit, quod a calore extero lagenæ, in quibus ejusmodi aqua spirituosa asservatur, magna vi rumpantur, quod sibi pius in acidulis Egranis, quæ præsertim tali spirituoso elemento totæ fœtæ sunt, adeo ut & ex fonte modo haustæ plurimis temulentiam quan-dam inducant, factum esse vel in vulgus quo-que notum est. Hinc & eadem aquæ, si non bene lagenæ eadem refertæ sunt, peregre & lon-ginque vel calente sole transvehuntur, viribus suis exuuntur. Ore hausta & in eo paululum detenta non nauseosum, sed satis gratum, sub-acrem subsalsumque acidulum, acidularum calidarum æmulum, saporem exinde linguae im-primit, hinc & hæc majori in quantitate una vice quam quidem altera hauriri potest. Si miscetur aqua cum gallarum pulvere ex atro puniceum & purpureum colorem induit magis-que saturatum atque obscurum, quam quidem ea ex altero fonte fervidissimo desumta. Si sirupus violarum ei additur, subviridescente tingitur colore, quæ mixtura si per aliquot dies in vitro aperto liberiori aëri exponitur, sub-inde viridis ille color magis saturatus redditur, indicio, totam atmosphærā ibi alcalicis efflu-viis a calore attenuatis atque atomis esse im-prægnatam. Si oleum tartari per deliquium instillatur, neque turbatur neque obscuratur, neque adeo notabili lacteo colore inficitur, nec alia aliqua alteratio observatur, haud obscuro indi-

indicio, quod nullas præsertim aut paucissimas, quæ in hoc quidem examine observari possunt, calcareæ terræ particulas in se contineat. Si lacte infunditur, & seponitur lac, minime coagulatur, sed potius fluidior redditur. A spiritibus acidis quibusdam ut aqua fortis sulphuris, instillatis, nulla notabilis alteratio occurrit, nisi quod nitri spiritus additus solique per aliquot horas exposita aqua in vitro quædam bullulæ exsurgant, & levem quendam fumum nares titillantem emittant. A vitrioli vero spiritu addito effervescentia quædam exsurgit. A solutione vitrioli martis aliqua præcipitatio aliquique flocculi lutei se manifestant. A solutione aluminis lactescentem magis induit colorem. Si libræ quatuor evaporantur, lenique calore digeruntur, drachmæ duæ cum scrupulo dimidio residui in fundo vitrei vasis manent, quod residuum ex evaporatione debito procedendi modo adhibito drachmæ duæ puri salis & candicantis dimidium tantum scrupulum terrei pulveris concedit. Duplex sal exinde elicetur alcalicum & neutrum, atque ex parte amaricantis, quod sali ex acidulis Egranis educito proxime accedit. Quando enim hujus salis libra integra in duabus quidem simplicis aquæ libris in lagena vitrea amplioris orificii solvitur & calidæ fornaci imponitur, pars quædam neutri salis atque propemodum amaricantis fundo & lateribus vitrei vasis, quoniam gravior illud est, conspicitur, alcalicum vero

sal ob levitatem aquæ intimius commixtum deprehenditur.

§. IV.

Vel ex hisce paucis indicatis differentiam modo atque simul prærogativam præ altero Carolino fonte, qui & fervore quidem multum fumum exspirante, & impetu, murmure & copia aquæ antefertur, colligimus. Cujus aqua gravior quoque est durior ac quasi saponacea, adeoque saporis ingrata atque nauseosa magnam quantitatem terræ calcareæ aut lapidosi spissamenti minorem quidein salis continet, nam ex eadem quantitate aquæ unicam saltem drachmam, & scrupulos ferme duos ochræ martialis particulas possidentis atque calcareæ terræ obtinuerunt curiosi scrutatores. Hinc & sine dubio minori quantitate intus assumta hæc nostra aqua alvum moveat, citiusque & expeditius per omnia vascula exilia, omnesque poros ac emunctoria corporis humani transit. Si quidem de hac sedecim v. g. vascula ad movendam & purgandam pluribus quidem dejectiōnibus alvum sufficiunt, de illa vero vix triginta illud efficiunt, & ægrius transit atque secedit pota. Hinc magis temperat excrementitias partes salino-sulphureas easque commodius per alvum & urinam educit, sudores vero non adeo copiosiores efficit, quo materias hasce peccantes in primis viis adhuc stabulantes

tes non adeo fortiter commovet, neque ad massam humorum usque urget atque traducit, ac quidem altera, adeoque & gratius & commodius & tutius nostra tam interne quam externe adhiberi potest: Nam ad hoc altera calidissima aqua calidioribus & plethoricis subjectis aliisque minus quadrat, quoniam nimis exagitat corpus, nostra vero pluribus hominibus ac ægris, si eorum ætatem, naturam & temperamentum & morbos materiasque peccantes spectes, convenit. Ob copiosam præsertim calcaream terram ochramque martialem constringentem difficilius per fibrosæ & mollis compagis ac minoris capacitatis capitis in primis vascula & canaliculos volvit, sed onere gravat, premit eos ac laxat, & facile in debilibus hisce partibus lœsisque forte visceribus stagnat ac extravasata corruptionem magis auget & quosdam morbos efferatores reddit ac magis rebelles, atque novos etiam excitat, cum partes humorum peccantes, acriores & liquefcentes calidissima illa aqua fusæ magis & eliquatæ majori sævitia membra impetant, aut lentæ, crassæ, viscidæ, duriiores fortius justo cominoveantur, adigantur & impingantur, sive que obstrunctiones contumaces, ex quibus multi morbi exoriuntur, efficit. Hinc ut plurimum non modo pedes elapsis aliquot a potatione diebus notabiliter & præter modum intumescunt, sed & lassitudinem & somnolentiam quandam post se relinquunt. Quare ejus usus

internus in affectibus ex atonia & debilitate cerebri & nervorum oriundis suspectus merito esse debet, quia irregulares sanguinis motus inducit & cras in sanguinis naturalem insigniter laedit, particulas biliosas intensius justo exagitantendo, & per quam facile hinc capitis dolores, vertiginem, animi deliquium, cordis palpitaciones, febres intermitentes atque acutas infert. Extus vero sive balneo usurpata ob easdem crassiores partes poros cutis & nervosas partes constringit & obstruit, repellit; hinc spasmodicis atque convulsivis affectibus & flatulentis detenti, doloribus colicis & tensionibus hypochondriacis, alvi segnitie atque abdominis duritie vexati hincque arthritici, podagrifici exinde male immo pessime se habent, non sine Medicorum dedecore & opprobrio. Hinc & tumores præternaturales membra corporis obsidentes subito exinde evanescunt, atque cutis impuritates, ut scabies immo ulceræ citius abiguntur. Si & paulo calidius balneum initur, æque capitis dolores, vigiliæ involuntariæ, difficultates spirandi, cordis palpitationes, inquietudines, animi deliquium, inappetentia, inflammationes internæ, febres acutæ aliaque mala symptomata exinde concitantur.

§. V.

Satis exinde constat, fontem hunc salutarem non modo alteri vicino sed & pluribus aliis ejusmodi

modi longe esse anteferendum, eumque optimis & saluberrimis elementis levibus, subtilissimis, spirituosis, volatilibus, elasticis, expandentibus, salinis & mediis & alcalicis, vitriolicis, martialis, energeticis atque præstantibus & penetrantibus, bene tamen inter se temperatis, & quæ toti naturæ humanae, sive vitæ vigore huminum, omnibus ferme temperamentis, omnisque fere ætatis, sexus & habitus subjectis, gravidis etiam fœminis, nec non debilitatis & convalescentibus atque succis eorumque fluxui corporum humanorum, uti & affectibus frigidis sic dictis ac chronicis præfertim admodum convenientibus atque amicis jucundoque calore se commendantibus totum esse refertum, ut Naturæ singulare benignitate humanis temperamentis studio veluti temperatus calidus & gratus factus, prout Cassiodorus loquitur, tanquam pro deliciosa sine tormento cura, sine horrore remedio datus videatur; adeoque multis tam præservandis, quam curandis morbis, iisque ex asse non tantum palliative, ut aliqui iniqui censores sine ratione & experientia de omnibus ejusmodi curis frivole prohibent, cum præstantissimum esse, clara argumentatio valet. Etenim vana saltem vulgi persuasio est, aquas ejusmodi foterias ægris tantum, non sanis prodesse: Sane ambo impune, ut per multa constat exempla, ferunt eas ac assumtas peroptato iterum reddunt. Ad

hoc quoque scire licet, omne tempus adhibendo usui hinc opportunum haberi.

§. VI.

Jam vires, operationes & emolumenta quoque eximia colligere & stimare que ex facili possumus, quæ humanis corporibus, blandè jucundèque calefaciendo, excitando, refocillando, expediendo conferunt, justum ac debitum partium solidiorum tonum & robur conservando & perditum restituendo, circulum & pulsum humorum i. e. itum redditumque sanguinis per subtilissimos canaliculos, juvando, atque spirituum animalium influxum & ad nervos usque penetrationes subtilissimæ hujus & maxime actiæ & quoquo versum intentio materiæ ad quaslibet corporis partes solidas activandas intimaque penetranda absolute necessarium intendendo ac instaurando, spiritu ascentiam facilitando, crassas, viscidas, pituitosas, tenaces, acidas, falsas, acres, biliose, austeras acerbaque, tartareas, scorbuticas, quæ iis præter naturam hypochondricis præsertim insunt, repurgando & abstergendo, simulque incidendo, resolvendo, alterando, invertendo, temperando, diluendo, attenuando & ad motum aptos reddendo, induratæ, rigidæ contractasque partium solidarum, carnearum nervosarumque fibras emolliendo & relaxando, simul tamen etiam

etiam relaxatas nimis partes roborando, confortando expandendoque, cutis poros aperiendo eosque capaces reddendo, ut cum aqueis particulis, reliquæ, quæ insunt, in interiores corporis recessus usque penetrare valeant, obstructiones tubulorum atque canarium in visceribus & singulis emunctoriis reserando & apriendo ac eluendo, quo simul excretiones sollicitantur & restituuntur, noxias & superfluas partes per emunctoria omnia, per sudores moderatos, urinam & dejectiones alvinas &c. foras educendo. Siquidem potenter purgant & quidem sine appetitus destructione sineque ultra virium prostratione aut languore, potius cum earum instaurazione, sine sanguinis commotione, sineque toni ventriculi & intestinorum destructione.

§. VII.

Duplici nimirum modo hodie hujus fontis aqua, potando pariter ac balneando æque adhibetur. Primum itaque clare intelligitur, usum hujus aquæ salutaris internum in multis omnino morbis eorumque causis destruendis præstantissimum esse. Cum enim quanta satis est ejus copia pota, ventriculum cum intestinis eorumque præsertim tunicas, glandulas & pliegas non modo sed & vias lacteas vasaque sanguifera, quæ viscera & membra alia per-

ptant, abstergunt, eluunt, & cruditates ibi sive
 colluvies serosas, biliosas, tenaces & pituito-
 sas, terrestres temperant, corrigunt ac atte-
 nuant atque resolvunt, easque per alvum, ve-
 sicam, cutis poros aliaque subinde emunctoria
 emungunt atque foras educunt, sique morbis
 iisque pertinacissimis, gravissimis, chronicis,
 habitualibus & abstrusissimis, atque in quibus
 causa altius inhæret & Medicorum etiam pru-
 dentissimorum labores plerunque fatigant, &
 vires omnium aliorum remediorum ut pluri-
 mum eludunt, apprime medentur. Qui ab
 impuritatibus primarum viarum ipsiusque san-
 guinis & aliorum humorum atque hinc orien-
 te fibrarum motricium, ex quibus singulæ cor-
 poris partes suam compagem fortiuntur, ato-
 nia ac minus expedito humorum itu redituque
 & secretione exoriuntur, affectus si quales sunt,
 ventriculi imbecillitas & hinc profecta appeti-
 tus & chylificationis vitia, sive cacochymia,
 anorexia, apepsia, nausea, ructus, vomitus, fa-
 mes canina, sitis immoderata, inflationes & dolo-
 res intestinorum, colica, (de qua ex podagra
 intra corpus recessa notabilia aliqua habeo ex-
 exempla) juvamentum exinde accipiunt, dolores
 item, qui per consensum ex aliis corporis par-
 tibus iisdemque remotioribus, capiti & ejus-
 dem partibus accidunt, ut & alia illa vitia, ver-
 tigo, aurium tinnitus, auditus imminutus me-
 delam acquirunt. Non minus pulmonum a
 pituita

pituita infarctus cum humido asthmate & tussi,
 hoc medio auferuntur, quatenus vasa & glan-
 dulas in ramis asperæ arteriæ inhærentes, vel
 induratas emolliunt, viscidum attenuant & ab
 eo liberant partes obseßas, eaque parte respi-
 rationem liberiorem reddunt, vel relaxatum &
 deperditum tonum restituunt, & humiditates
 superfluas eo confluxas aliorum divertunt &
 per intestina evehunt, immo imminens exinde
 phthisis & hectica per hoc remedium feliciter
 avertitur, præsertim si ex obstructione visce-
 rum natum fuerit hoc morborum genus, qua
 propter in præcavendo eo *Mortonus in Phthi-*
gologia Lib. II. Cap. II. aquas medicatas Isling-
 tonienses iterum atque iterum commendat.
 Obstructiones alvi, ejusdem pertinaces fluxiones
 pariter causa mali exclusa, ut & tenesmus, inte-
 illi recti relaxatio, stranguria, dysuria, mihi-
 eruentus & præsertim lerna illa malorum, malum
 hypochondriacum ipsaque hypochondriaca me-
 ancholia hac ratione efficacissime curantur. Ca-
 chexia, omnis chlorosis, scorbutus, *hydrops*, iæte-
 rus isque niger, obstructiones viscerum, atq; illo-
 rum vasorum & glandularum ventriculi, duodeni
 intestini, hepatis, lienis præsertim ut & pancrea-
 tis subtilem blandequa fermentantem & utilem
 succum præparantis, & exinde sanguinis circu-
 us impeditus hoc quidem pacto optime abi-
 guntur atque tota massa humorum pura redi-
 tur, naturalisque temperies revocatur. Af-
 fectus

fectus spasmodici porro, ubi fibræ sunt tensæ,
 rigidæ, exsiccatæ, passio hysterica, atque dolores
 variarum partium, arthritidis vagæ & fixæ,
 rheumatismi in coxendice, aliisque locis humani
 corporis sœvientes, contracturæ, paralysis,
 membrorum stupores varii, imbecillitates &
 languores, luxationes, rachitis, sic egregie de-
 pelluntur, juvantur atque in pristinum sanum-
 que statum rediguntur. Tumores atque exul-
 cerationes intus latentes in *mesenterio*, renibus
 & vesica urinaria, non adeo quidem inveteratæ
 maturantur, aperiuntur, exonerantur, mundi-
 ficantur atque sanantur. Si & eædem partes
 ut & vesica fellea calculosis concretionibus, vel
 materia earum viscidis & falsis, tartareis sordi-
 bus obsestæ sunt, hæc calculorum futurorum
 rudimenta & incrementa & ipse calculus jam
 factus his lymphis destruuntur & emollitis bene
 & expansis partibus citra singularem dolorem
 ejiciuntur. Hinc saepe observavimus, cum red-
 dita urina eaque turbida magnam fabulosam &
 viscidam materiam varioque colore infectam
 fuisse excretam. Vermes, quibus ejusmodi
 salia alcalia, ut & sulphurea & vitriolica & mar-
 tialia sunt adversa, exturbantur, atque bilis
 acrior corrigitur & temperatur ac in optimam
 indolem convertitur, ut commoda satis ac apta
 sit confectioni chyli motuique peristaltico adeo
 necessario & utili œconomiæ animali instigan-
 do & perennando. Cutis affectus, scabies ea-

que

que tam sicca quam humida, impetigines, vitiliges, abscessus & ulcera eaque inveterata & tumores duri aliaque ejusmodi vitia deturbantur. Mensum præterea tam obstrunctiones ac defectus, quam fluxus inordinatus & nimius, quod quibusdam mirum videtur, ut & difficile hæmorrhoidale in viris præsertim negotium, nec non fluor albus, ut & conceptionis vitia, sterilitas, *uteri prolapsus*, optimam exinde correctionem accipiunt. Alii quoque mulierum morbi hic nominandi & in iis hoc medicamen laudandum Lyciæque quibusdam conceptum fœminarum specifice custodientibus, ut Scriptores quidam referunt, æquiparandum, ut abortus frequenter contingens, molæ & ejusmodi in utero concrementa, ægritudines ex lochiali sanguine & purgamentis retentis ut & languore ex puerperio laborioso & minus secundo, vel alio morbo prægresso residuo. Febres tandem intermittentes easque contumacissimas & sæpe recurrentes, talesque, in quibus nimis mature caussa adhuc vigens materialis suppressa fuit, insigni cum levamine fugat, ac illa detrahit incommoda, quæ festinata illorum suppressio solet relinquere, si diebus intercalaribus & in declinationis tempore tam externe quam interne adhibetur nostra soteria aqua. Febribus item lentis, post febres intermittentes in specie male & intempestive per constringentia maxime tractatis hoc modo egregie occurritur.

ritur. Speciatim indicare convenit, quod abditos & latentes in humano corpore morbos ipso earum usu prodere soleant. Quibus indicatis, satis pereximias virtutes mirandosque effectus hujus fontis nos declarasse arbitramur. Tametsi plures observationes, quæ de illius effectibus testari queant, colligere possemus, interim, qui horum intelligenter adducta rite pendunt, haud difficulter plura possilia per bonam consequentiam præsumere valebunt.

§. VIII.

Circa hunc usum hancque administrationem observandum est, ut non irrita aut nociva, sed felix faustaque hæc cura futura sit, quod pleræque res usu aliquo commendabiles requirunt, ut ante illum sive internum sive externum ne mpe usum, ne abundantia & pravitas humorum capienda copiæ ac moli aquarum hauriendarum obstat, & impuritates primarum viarum vim earum eludant, & cum iis ad massam sanguinem abripiantur, illamque confoedent atque conturbent, varia symptomata & incommoda multosque morbos ingenerent, aut laxante, aut purgante ex salibus detergentibus & colliquantibus, ut sale ebsoniensi, tartaro vitriolato, sale Sedlizensi Bohemico, ex Egranic acidulis desumento, terra foliata tartari & ejus liquores cremore tartari, rhabarbaro, manna aut pilulis de ammoniaco Quercetani, de succino Cratonis, aut mixtura aliqua ex aqua menthae, gummi ammoniaco

niaco in aceto soluto, sale tartari cum scammonio sulphurato & sirupo menthae, similibus confecta, vel nodulo quodam laxante per aliquot dies usurpato, nec non clysmatibus ex emollientibus, laxantibus & discutientibus paratis, aut etiam vomitorio ex radice ipecacuanhae cum uno grano tartari emetici, aut cui alia forma arrideret, ex tartaro emetico gran. ij vino Hispanico infuso bene primæ viæ repurgentur & venæ sectione aut scarificatione orgasmus sanguinis imminuetur, ac vasorum plenitudo detrahatur, & insueta sanguinis quædam suppressio tollatur, ne operationibus instituendis obsint & ne copia & calor aquæ sanguinem nimis expandat vasaque ejus nimis dilatet, cephalalgias & auxietates præcordiales, difficilem respirationem, phlogoses, hæmorrhagias, sudores immoderatos, vigilias involuntarias, ruptiones venarum & apoplexiæ periculum inducant. Simulque tamen iterum iterumque præsupponimus, ut a provido & scienti Medico omnes rerum ad hanc curam pertinentium circumstantiæ observatae prius fuerint, an satis tuta & commoda hæc cura futura sit, an nimirum viscera sint sana, aut non penitus indurata ea sint atque scirrhosa, aut aliubi locorum in corpore, in capite, pectore, ab domine vasa sanguifera ac lymphatica rupta fuerint, & stagnationes talium humorum exinde factæ, an exulcerationes internæ pulmonum, hepatis, lienis, renibus, pancreate, mesenterio aliisque in partibus graviores & inveteratæ, putrofæ

& sinuosæ & metuendæ, aut an affectus cujus-dam soporosi apoplexiæ, idiopathiæ i. e. a seri extravasatione in ventriculis cerebri præsertim oriundæ, epilepsiaæ, inflammationum internarum suspicio adsit, aut constet, memoriam usque integrum & sanum sensuum & rationis perditum esse. Item an polypi in cavitatibus variis cum asthmate convulsivo, nec non hæmorhagiæ enormes ac contumaces & ex facili re-crudescentes, ut & hydrops consummati & a va-sis lymphaticis corrosis facti, & hectica confirma-ta aut etiam lues gallica aut ex gonorrhœa viru-lenta, ulcera cancrosa depascentia subsint. His præmissis & bene pensitatis, simulque mensium in fœminis & fluxus hæmorrhoidalis in viris ra-tione habita, an nimirum fluant (nam sub his flu-xionibus usus aquæ thermalis neque inchoandus neque continuandus maxime balneando potius & tutius est, & in requiem tam corpore quam ani-mo bene composito, tempore electo & commo-do, horis matutinis, refectis satis nocturna quiete viribus, exonerata si fieri potest alvo atque vesica urinaria, nec non discussso durante somno per insensibilem transpirationem omni superfluo humido principioque activo ad pristinam ener-giam reducto, potatio bono cum Deo invocato-que ejus Summo Numine horis matutinis, (quod tempus bibendi aquas ejusmodi medicatas com-modissimum & utilissimum, immo necessarium censetur, quoniam hæ ipsæ aquæ tunc aëre ex-istente frigidiori viribus integris adhuc i. e. par-tibus

tibus spirituosis instructæ existunt,) ex recens hausto fonte aqua bene calida instituenda & cum ea universa cura incipienda, inchoando a X. XII. XV. ollulis aut vitris, & adscendendo atque augendo indies usque ad XX. XXV. Quæ quantitas ut plurimum sufficit ad evacuanda ea, quæ debent evacuari, siquidem plurimi ex hac sexies, septies, decies, undecies & pluribus adhuc vicibus dejiciunt. Cum ea quantitate assumenda, qua confert, & si talia excernuntur, qualia excerni oportet, ad V. VI. VII. & plures dies pro subjectorum & morborum conditione & indeole continuetur, & bis terque hic ordo, quem curam vocant, observetur & repetatur, interposito singulis vicibus laxante. Efficacius quidem ex ipso fonte statim hauritur pro cura aqua thermalis; quibus vero aut non liceret, fontem ipsum adire, aquam domum adportatam prius in lagena angustioris colli bene obturata, ne spirituosa ac energetica pars abeat, ferventi aquæ Carolinæ alteri ut fervidissimæ imponere, sicque calefacere convenit. Quo & animadvertisendum, quod utilius sit, si lagenæ, in quibus aqua medietata adportatur, non penitus exhaustiantur, quam in superiori parte aqua levior & spirituosa existit. Potatio in conclavi bene inter frigus atque calorem temperato inter deambulationem modicam, operationem atque secretione & excretionem apprime adjuvantem, ordinario atque consultius instituitur, delicioribus, ebilioribus, tenerioribus, sensibilioribus ac in-

firmis difficileque perspirantibus tamen non
 adeo scrupulose refragari vellem, si in lecto, evi-
 tando tamen somnum, eam adhibere visum esset.
 Quandoque talem potandi modum commenda-
 re soleo, quando nimirum de ultima cura, quam
 vocant, agitur, & sudores ut augeantur, e re esse
 videtur succis prius præmissis primis curis tenui-
 oribus factis salibusque morbificis bene tempe-
 ratis. Siquidem & in variis subiectis variisque
 morbis decumbentibus & ex lecto resurgere non
 valentibus salutarem talem aquæ usum depre-
 hendi. Fuerunt enim plures subinde talis con-
 stitutionis personæ, quibus hic potationis mo-
 dus optime profuit. Sunt quoque certi quidam
 morbi, in quibus magnum emolumentum exin-
 de ægrotantes reportant v. g. affectus pedum
 spasmodici & arthritici. Etenim licet motus
 externus magis excretionem promoteat, atta-
 men & de utilitate hac bene sperare possumus
 tam aquæ bene quoad calorem temperatum &
 urgentis copiam virtutemque stimulantem,
 quam naturam solidorum elaterem ac tonum
 fluidorum circulum dirigentium considerantes.
 Si ulterius queratur, an etiam alio tempore &
 speciatim inter cibandum has thermales aquas
 potare conveniret, affirmando ad hanc quæstio-
 nem, nec sine ratione respondemus, quoniam &
 que ad cibos bene conficiendos, atque infirmum
 atque laxatum ventriculi & intestinorum tonum
 emendandum ac juvandum multum valent af-
 sumitæ aquæ thermales. Nec desunt variæ per-
 sonæ

sonæ, præsertim fœminei sexus, quæ ventriculi & intestinorum affectibus gravioribus & contumacibus, ut colica, cardialgia &c. vexatæ, quæ cum euphoria paulo ante & inter pastum debito moderamine observato, talem potum adhibuerunt. Perinde non ambiguum habemus balneum mox ingressuris, immo eo jam insidentibus aliquot vascula vel IV. VI. VIII. ellulas sive ad unam libram circiter hujus aquæ thermalis, ut epotent quandoque nec sine euphoria semper subsequuta commendare, quo obstrukiones internæ & scirrhescientiæ atque tumores duri, mesenterii glandularum &c. facilius præsertiim fotu quasi valente juncto expediuntur, alvusque magis fluida servatur. Cœterum neminem statim terrere & ab incepta cura arcere debent symptoma quædam forte interdum intervenientia: Ut purpura rubra pustulæ scabiosæ, immo inflammatio quædam erysipelatosa, nausea, subversio ventriculi, ventris inflatio, dolor tensivus præcordiorum, intestinorum fluctuatio, capitis e iam gravitas, somnolentia vel pedum tumores, vel etiam consueti morbi quidam v. g. arthritis, ex calculo dolores &c. sub ipso aquarum thermalium usu redeuntes: hæc omnia enim aut utentes deferent, ubi aquæ viam sibi expeditiorem reddiderint, & validius operationem suam exercuerint, aut salibus acribus morbosis ad habitum corporis fausto omine dejectis cum felicibus ægrotantium rebus evanescunt.

§. IX.

Quodsi, quod ut plurimum fieri expetitur, potu & balneo utendum ad fortiorum penetrationem ad patentes cutis poros, intimorem accessum aquæ tempore subtili activaque sua virtute procurandum, ad emolliendas, magis relaxandas contractas induratas fibras, & ad motum sanguinis magis promovendum, eumque ad externas & inferiores partes alliciendum, atque ad derivationem aliquorum, revulsionem instituendam, perspirationem cutis adjuvandam augendamque, & congestionem sanguinis atque humorum, quæ a spasmis inferiorum partium frequenter sunt, solvendas, atque ad affectas partes extremas occupantes abigendas, absoluta potatione & præmissa laxatione balneum, ut aqua superflua & a potu relicta ab eaque commota & soluta inquadrimenta prius ex corpore excernantur, sive horis matutinis sive vespertinis, vel etiam bis in die, atque vel in balnearia ipsi fonti adstructa, sese recipere possunt sic lavari cupientes, vel ut aqua domum transportetur, curare, ubi labro aqua hac pleno insideant atque successive ad umbilicum primum, ad axillas dein ac etiam ad mentum tandem se immergant. Ordinario hic duæ horæ balneo impenduntur, quod & per III. IV. V. aut VI. dies continuari potest. Quæ vices bis terve serventur, prout ægrorum constitutio morborumque conditio exigit. Inter balneandum si venter statim primis diebus spinam versus contrahitur, boni futuri eventus faustum erit signum.

signum. A balneo præsertim cavere oportet, ne frigidiori auræ visceribus & nervis præsertim ini-
micæ & in apertos a calido balneo corporis po-
ros præmptissime penetranti, corpus exponatur,
quare cum cura integumentis illud velandum
est, ex quo in lectum se recipient & ibi bene con-
tecti in sudorem proni atque proclives ad tole-
rantiam eundem promoveant, hoc regimine pro-
be observato sudorem calidis linteis abstergant,
& corpus frictionibus paululum exerceant, quo
modo vires & servabunt integras & amissas re-
cuperabunt.

§. X.

Præter hos magis consuetos usus, potum ni-
mirum & balneum, alii quoque esse possunt haud
contemnendi, quibus aqua nostra æque ac aliæ
eiusmodi inservire solet. Tales ii quidem ma-
gis consueti magisque noti sunt, si pediluvia ex
ea parentur, quæ ipsi aquarum thermalium curæ
& in primis balneo præmitti, jungi ac postea ali-
quamdiu continuari possunt, quoniam concinne
præparant, adjuvant ac sustentant, conservant &
continuant ejus operationem. Ordinario ea
magis ad pedum tumores & languores discutien-
dos & avertendos adhibentur. Si porro clysmata
exinde componantur, in quam plurimis mor-
bis proficua & necessaria. Si os ea colluatur, pro
eius vitiis emendandis. Si gargarismata exinde
formentur pro tonsillarum tumoribus resolven-
dis, colli & faucium inflammationibus discutien-
dis, pro relaxatione uvulae restituenda. Si av-

ribus instilletur pro suspiris abigendis, doloribus mitigandis, pro auditu deperdito juvando. Si oculi cum ea calida laventur pro inflammationibus, suffusionibus incipientibus, aliisque eorum vitiis corrigendis. Si quidem & multoties expertus est, quod & frigida & aliorum transportata diuque etiam per integrum annum asservata aciem oculorum mirum conservet non modo, sed & augeat, si quotidie ea illi laventur. Æque notum habet scirrho, cancro, albo fluore mucoque crasso obsessum muliebrem uterum per metranchytem injectam abstersum, ut & ulcus in vesica nidulans mundatum & ad cicatricem injectionis ope perductum fuisse. Virginibus etiam solo fotu ad menses albos profuisse, memoratur &c. Stillicidia quoque sunt ex earum medicationum generibus, quæ variis corporis partibus, ut capiti, nuchæ, & collo, ventriculo, artubus roborandi, discutiendi, emolliendi, penetrandi &c. fine, atque pro variis affectibus gravioribus & abstrusioribus abigendis, adhiberi solent.

§. XI.

Non abs re erit, immo utile & quandoque necessarium, usum aquæ tam internum, quam externum pharmaceuticis remediis atque medicamentis non modo incipere ac finire, sed & eum interpolare, cooperari, juvare, immo supplere interdum atque jungere, eaque per aliquot septimanarum spatium domum reversi continuare, prout rerum ac circumstantiarum ratio suadet, ut auxiliaticibus quasi manibus consociata
quasi

quasi auxilia in commune bonum ægrotantium amice conspirent. Omnis generis medicamenta pro hoc scopo solent adhiberi evacuantia, laxantia, diuretica, vomitoria, ut & clysmata alterantia, præcipitantia, resolventia, confortantia, stomachica, singulis morbis convenientia, antispasmodica &c. Quibus in genere prospiciendum, ut debitus partium tonus conservetur ac instauretur, singulæ secretiones & excretiones secundum naturæ leges bene procedant, correctio & sanatio adjuvetur atque sic natura omni onere levata pristinum ac novum vigorem recipere possit. Speciatim dicendo stomachica magis ordinaria sunt singulisque propemodum communia, qualia ex amaris præsertim ut essentia absinthii, centaurei minoris, ut & cardui benedicti & corticum aurantiorum nec non alia, ut tinctura tartari composita, essent: chacarilla, Elixir Proprietatis, sal volatile oleosum Sylvii cum spir. nitri dulci temperatum præscribi assolent. Integrandam tandem cura sic absoluta rei omnino intererit, ei adhuc colophonem laxante aut etiam clystere iterum imponere, ubi ordinario magna humorum suburra exoneratur, quoniam ab aqua medicata largioribus his haustibus assumta, ventriculus & intestina impleta fuerunt, atque in coli præsertim plicis atque recessibus multæ adhuc inertes, phlegmaticæ & pituitosæ partes solutæ reliqæ, quæ si remanerent, varia mala symptomata iterum concitare possent, ut inquietudines, languores, colicam, ac febres &c.

§. XII.

Præsertim ne frustraneus aut omnino nocivus futurus usus omnis hujus curæ sit, convenientis diætæ leges ut semper ita & hic quoque observandæ, tam per ipsum curæ tempus quam post absolutam eam. Ante omnia abstinendum a nimia cibi & potus repletione assumendis aquis thermalibus admodum adversa, licet etiam illi ex salubribus sint, quare & lauta præsertim cœna utilius intermittatur. Quoniam vero non omnes ad blandientes sint corpori & speciatim curæ hujus tempore, salutares cibi assumant facilis digestionis & distributionis. Ex carnium censu laudantur carnes teneræ ut boum, juvencorum, vitulorum, agnorum, leporum, caponum, alaudarum, turdorum, perdicum, pullorum gallinaceorum & ova, quæ conducibilia admodum sunt, ea quidem recentia & forabilia &c. Pisces conceduntur faxatiles, funduli, truttae, percæ, lucii. Ex fructibus amygdalæ, pineæ, ficus, asparagus, radices petroselini, pastinacæ coctæ, cichorei, ariza alica. Juscula parantur ex atriplici, beta, buglosso, chærefolio, endivia & similibus vegetabilibus & juribus recentium carnium &c. Vident vero omnes cibos viscidos in primis pingues, butyro frixos, ova præfertim sic parata eaque dura, falitos, acidos, fermentescibiles, in primis aromaticis nimis pipere præfertim confeccios, animalium jecora, intestina, pedes, capita vitulina &c. Carnes item anserum, anatum, pernas, lardum, farcimina, placentas pinguiores & calentes, pisces palu-

palustres, ut anguillas, tincas, carpiones, eosque fumo aut aëre induratos, fructus horarios, legumina flatulenta, nimia farinacea, lacticinia, cæleraria. Potus sit tenuis & defecatus & diureticus. Hauriatur non frigidus nimis, præsertim a balneo corpore adhuc calente : Largior tamen assumatur, quam quidem pro consuetudine assolent, balnei tempore. Ex cerevisiis, quæ in isto loco haberí possunt, Joachimsthalensis, Neukirchenfis, Schneebergensis præferuntur. Ex vinis, parce tamen, ut nimirum usum medicum obtineant & efficaciam illorum experiantur, quæ in roborando, refocillando, resolvendo, discutiendo constitit, inter prandium ac cœnam, concedi possunt Bohemicum, Hungaricum, Rhenanum; Mosellatum vero & Neckarinum in primis calidioris constitutionis hominibus, qui biliosas cruditates in primis viis alunt, magis convenient. Quibus volupe erit, loco potus ordinarii etiam leves acidulas, qui haud procul a thermis Carolinis scaturiunt, quas vulgo der Buch Säuerling appellant, & in oppido venales circumferuntur, usurpare possunt. Non inconvenienter vinum præsertim Rhenanum cum acidulis illis modo nominatis miscetur. Nec adeo morose atque rigorofe, ut plures etiam Medici assolent, post horam unam aut alteram, a potu thermalis aquæ assuetis & qui in deliciis habent, præsertim fœminis potum moderatum decocti coffee immo etiam succulatam cum aqua coctam tanquam confortans, atque adeo viris tabaci fumum vetare possumus.

Vinum vero adustum, quoniam alvum constipat,
 & humores coagulat, consultius omittitur. A
 prandio atque a potu aquæ thermalis somnus stu-
 dio arcendus. Motui ac exercitio moderato
 corporis, ut ambulationi atque exspatiationi, ho-
 nestæ saltationi etiam ad sudorem lenem usque
 protractæ, equo & curru ventioni, tornationi &c.
 post potum assūtum per unam & alteram ho-
 ram ex necessitate vacandum, quoniam valide &
 utilissime aquarum operationem juxta ac secre-
 tionem excretionemque adjuvant. Qui vero a
 morbo prohibentur his corporis motionibus uti,
 frictiones artuum assiduæ loco exercitii erunt.
 Non possumus autem probare nimia exercita-
 tionum genera, ut quam plurimos hæc falsa per-
 suasio tenet, usque ad multam lassitudinem & vi-
 rium prostrationem magnumque sudoris efflu-
 xum protracta, per quæ laboriosam illam adscen-
 sionem per plures horas ad circumiacentium
 montium vertices atque fastigia intelligimus.
 Nam vires integræ ad operationem omnem ther-
 marum rite perficiendam omnino requiruntur.
 Hinc observamus, quod extreme debilitatis aut
 decrepita ætate constitutis hominibus curæ ther-
 males omnes minus proficiant. A balneo vero
 consultius omnis motus intermititur, sed potius,
 ut supra monitum est, quies & somnus, ad quem
 ipsum balneum quasi invitat, per unam alteram
 que horam in lecto conceditur, immo injungi-
 tur, exspectando lenem cutis madorem. Vigiliis
 nimis non corpus fatigent & exhaustant: Alvus

procuratur laxa & quotidie aperta per juscula alimentosa
 & lenientia & emollientia, per suppositoria & clysteres.
 Singulæ reliquæ excretiones successive, tempestive & non
 excessive atque constanter instituantur. Studiose arcea-
 tur ac corrigatur omnis aër adversus, qui præsertim tem-
 peramentis sanguineis & sanguineo-phlegmaticis noxam
 infert, quod uti hoc temperamentum, ubi sanguis nem-
 pe prævalat, præ reliquis felicius est & constantiori fir-
 miorique gaudet sanitate, ita & hoc præ reliquis incom-
 modum habet, ut quo subtilior, tenuior ac volatilior san-
 guis in consistentia sua, eo etiam alterationibus, ac ebul-
 litioni aëris ac tempestatum alterationibus & variationi-
 bus, in primis subitaneis vicissitudinibus alteretur magis,
 & in inordinatum motum vertatur atq; ad intemperiem
 sit valde proclivis. Nam licet ibidem locorum salubris
 in se ipso ut plurimum aer existat, quoniam calidus, sic-
 cus & tenuis salibusque alcalicis & spirituosis effluviis
 refertus est, quæ optimæ qualitates ab igne subterraneo,
 qui hoc in loco ejusque vicinia per multa vestigia se pro-
 dit, ac vaporibus exhalationibusque hinc inde ex copio-
 sis ex fonte servido & balneis evolutis exeuntibus, quo-
 que acceptæ feruntur: est tamen juxta subitaneam quan-
 doque ejusdem alterationem & mutationem, quod curæ
 tempus & conditio præsentium circa hunc ipsum obser-
 vare moderarique præcipit. Speciatim frigidus, plu-
 viosus & nebulosus, matutinis & vespertinis maxime ho-
 ris, huic curarum generi adversus, quoniam transpira-
 tionem & liberam circulationem sanguinis impedit, fluo-
 res condensat, ac solidarum partium maxime nervosa-
 rum debitum tonum vimque movendi potenter impe-
 dit, per totum curæ tempus, maxime autem inter po-
 standum vitandus. Nemo eorum in primis, qui hac cura
 uitur, talibus objectis inhæreat, quæ mœrorem tristi-
 tiamque ingerunt, ea enim occasionem subministrabit,
 ut motus vitales & totius corporis animique vires laba-
 scant & successive magis imminuantur, contra quod ægri-
 tudinis genus nullum in pharmacopoliis invenitur me-

dicamentum, quod in animum agere aptum sit, hinc nec corporis morbis facile Medici medentur, nec cura adhibita feliciter succedit, quamdiu animum hi mali affectus conturbant. Immo ad hoc scire licet, quod ex sedula attentaque observatione colligitur, curas per aquas sotterrias, sive calidæ sive frigidæ illæ sint, institutas haud feliciter cedere in ejusmodi, morbis ex anomalibus motibus per diuturnum antegressum mœrorem inductis, genus nervosum & cerebrum debilitantibus curandis, ob debilitatum nimis cerebrum nervorumque tonum, qui impedit, quo minus haustæ in copia aquæ per cerebri minutissima vascula volvi revolvique queant. Quare hæ atque omnes graviores curæ, profundæ meditationes, lucubrations & alii immoderati animi affectus & commotiones omni cura fugiendæ, sed mens potius spe atque fiducia erigatur, atque animi continentia integra sit, ejusque ex gratia rebus quæ sita delectatio procuretur, atque is ad omnem lætitiam ac gaudium naturæ humanæ semper proficuum componatur; Nec ibi loci etiam deest varia amoenitas animis reficiendis & seriis laboribus corporis proscribendis idonea.

§. XIII.

Quæ adhuc forte monenda atque indicanda essent, ut & omnia in his paragraphis conscripta, ut eo felicius cedant, directioni & moderationi intelligentis Medici harum rerum optime gnari relinquenda, commendanda committendaque ulterius erunt: Talis enim usum disponere, curam ordinare, copiam aquarum bibendam & repetitionem aut dilationem tam potationis, quam balneationis ad utentium atque balneantium naturam, morborum indolem & symptomatum intervenientium rationem dirigere, observare, discernere, corrigere, avertere, componere, futuris prospicere atque per omnia tam ægrotantibus quam convalescentibus recte consulere sciet.

F I N I S.

